22.2245
8181ec

DOCUMENTA ANTIQUA

FRANCISCANA

DOCUMENTA ANTIQUA

FRANCISCANA

EDIDIT

FR. LEONARDUS LEMMENS, O. F. M.

PARS II.

SPECULUM PERFECTIONIS

(REDACTIO I.)

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theologica
Union Library

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1901.

Proprietas litteraria.

5380

PRAEFATIO

Multis sententiis, quae nostris temporibus de fontibus historiae S. Francisci proponuntur, hic nova accedit, quae eo commendari videtur, quod reliquis ex parte assensum praebens medio tutissimum ire intendit et vere testimoniis antiquis innititur.

Legendam « trium sociorum » relinquimus, sed haud detrimentum patitur inde historia Seraphici Patris. Legenda haec multos jam spe sua decepit; a sociis enim familiaribus plura jure exspectantur. Speramus fore, ut ea, quae pro ista hic offeruntur legenda, testimonia genuina sociorum admittantur magisque augeant sancti Patris cultum ac honorem.

Romae, Cal. Martii 1901.

Fr. Leonardus Lemmens O. F. M.

INTRODUCTIO

Tribus abhinc annis *Paulus Sabatier* edidit « *Speculum perfectionis seu S. Francisci Assisiensis Legenda antiquissima* » et denuo oculos in hunc librum olim saepe adhibitum vertit.

Speculum perfectionis multos invenit amicos; « Ho letto e riletto lo Speculum; e l' impressione, profonda, indimenticabile è stata sempre uguale [1] ». Sententia communior non quidem assensum Sabatier praebuit in eo, quod Speculum *a solo fratre Leone anno* 1227 *jam est compositum*, quod Sabatier ipse non amplius urget [2], genuina vero et pretiosa in Speculo videt documenta.

Diversi diverso modo de ipsius origine opinati sunt.

Patres *Marcellinus a Civezza* et *Theophilus Domenichelli* cum *Waddingo* Speculum partem il-

[1] Minocchi, La « Legenda Trium sociorum » (ex « Archivio Storico Italiano » t. XXIV) pag. 40.

[2] In « The Weekly Register » 1900 pag. 750 huic quaestioni « importance *secondaire* attribuit ».

lius legendae « trium sociorum » habuerunt, quae legenda anno 1246 a sociis P. *Crescentio*, Ministro Generali, transmissa putabatur [1]. *Minocchi* loco dictae legendae, quam *apocryphum* recognovit, partem Speculi transmissam esse proponit [2].

Nos has sententias ex parte accipimus et ex parte corrigimus: *Socii S. Patris anno 1246 sola documenta P. Crescentio transmiserunt, et ex hisce documentis compilata est postea redactio prior Speculi perfectionis. Praeter haec documenta ducti socii alia scripserunt et scribi fecerunt; et altera Speculi redactio est composita ex iis, « quae in diversis locis scripserunt et scribi fecerunt seu retulerunt socii beati Francisci »*. Quae verba in omnibus fere codicibus Speculi initio posita *sensu suo obvio* jure intelliguntur.

Viam rectam jam erat ingressus *Suyskenus*, qui scribit: « Videtur caput hoc a compilatore Speculi « ex ipsismet S. Francisci sociorum testimonio scri- « pto acceptum esse ac proinde magnae auctorita- « tis ». Attamen ab ulteriore examine destitit. Hinc nonnisi *unum biographorum S. Francisci genus* in « Acta Sanctorum » habetur, et magna pars traditionis Franciscanae in dubium et oblivionem venit.

---

[1] La Leggenda di San Francesco scritta da tre suoi Compagni pubblicata per la prima volta nella vera sua integrità (Roma 1899).

[2] L. c. pag. 112 sqq.

[3] Acta Sanctorum, Oct. tom. II, pag. 627 n. 430. Conf. Rivista Internazionale, 1898 pag. 359 sqq.

I. *De duobus generibus Vitarum S. P. Francisci.*

1. Illa, quae jam primis ordinis temporibus coepit, duplex observantia optime illustratur legendis S. Patris, quae saeculo XIII scriptae sunt. « *Communitas* » et « *Spirituales* » suas habuerunt legendas; et auctores unius partis raro adhibent vel non nominant auctores alterius partis. *Bernardus de Bessa*, exempli gratia, in suo libro « De Laudibus S. Francisci » plura posuit e legenda secunda fratris Thomae de Celano, sed hanc in suo catalogo omisit.

2. Utraque pars nobis tradidit suum catalogum, quo Vitae S. Francisci enumerantur. *Prior* est fratris Bernardi de Bessa, *qui fuit de* « *Communitate* ». Enumerat *legendam primam Celanensis*, legendam « *Quasi stella matutina* », legendam *fr. Juliani Spirensis* ac legendam *S. Bonaventurae*. « Plenam virtutibus, inquit, beati Francisci vitam « scripsit in Italia exquisitae vir eloquentiae frater « Thomas, jubente domino Papa Gregorio nono; et « eam, quae incipit *Quasi stella matutina*, vir vene- « rabilis dominus, ut fertur, Joannes, apostolicae sedis « notarius. In Francia vero frater Julianus, scientia « et sanctitate conspicuus. Postremo compertum ple- « nius vitae decursum vas admirabile gratiarum, « virtutum et scientiae apotheca, frater Bonaven- « tura [1] ».

---

[1] Conf. Anal. Franciscana t. III. pag. 666.

Alter catalogus est venerabilis *Angeli Clareni*, qui fuit celebrior inter « Spirituales ». « Vitam pau-« peris et humilis viri Dei Francisci, trium ordinum « fundatoris, quattuor solemnes personae scripserunt, « fratres videlicet scientia et sanctitate praeclari *Joan-« nes et Thomas de Celano*, frater *Bonaventura*, unus « post beatum Franciscum Generalis Minister, et vir « mirae simplicitatis et sanctitatis, frater *Leo*, ejusdem « Sancti socius [1] ». Enumerantur hisce legenda fratris Thomae de Celano « legenda *antiqua*, quam compo-suit frater Joannes de Celano [2] », legenda S. Bona-venturae ac scripta fratris Leonis.

3. Legenda S. Bonaventurae erat legenda « of-ficialis » et utrique parti communis, at inter « Spi-rituales » parum placuit. Non casu Angelus Clarenus tacet de sanctitate S. Bonaventurae in suo catalogo, quo celebrat sanctitatem trium aliorum. *Ubertinus* vero *Casalensis* [3] conqueritur, quod S. Bonaventura « prudentia humana » ductus plura, praesertim de paupertate, omisit : « Noluit in legenda publice scri-« bere, maxime, quia aliqua erant ibi, in quibus « deviatio regulae publice monstrabatur. Claret au-« tem, quod multo melius fuisset ea scribere, quia « non tanta postea forsitan fuisset secuta ruina ».

---

[1] Conf. Ehrle, Die Spiritualen in « Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalters », t. II. pag. 114 nota 1. Clarenus ibidem pag. 118: « Aliqua commemoravi de his, quae didici in quattuor legendis, quas vidi et legi »; de his plura in Appendice.

[2] Alvarus Pelagius, De planctu ecclesiae II. fol. 150 a.

[3] Arbor vitae crucifixae Jesu (Venetiis 1485) fol. E iij a.

4. Capitulum generale Parisiis anno 1266 celebratum legendam S. Bonaventurae omnibus commendavit et addidit: « Praecipit per obedientiam, quod « omnes legendae de beato Francisco olim factae de- « leantur, et, ubi inveniri poterunt extra ordinem, « ipsas fratres studeant amovere [1] ». Analecta Bollandiana hoc decretum de legendis *liturgicis* explicant, quod jam ob verba « et, ubi inveniri poterunt *extra ordinem,* ipsa fratres studeant amovere » improbabile videtur [2]. Nec quaestionem solvit argumentum « peremptorium », quod dicta Analecta deducunt ex decreto capituli Patavini (1277), quo post mortem S. Bonaventurae novae de « operibus B. Francisci » inquisitiones ordinantur. Decretum istud, « quod inquirant de operibus beati Francisci et aliorum sanctorum fratrum quaecunque memoria digna, prout in suis provinciis contigerunt [3] », nihil dicit de legendis, quae « de beato Francisco *olim* factae » sunt.

5. Legenda sancti Bonaventurae est legenda *pacis* [4]. Omnia desunt, quae lapis offensionis esse po-

---

[1] Conf. Ehrle, Die ältesten Redactionen der Generalconstitutionen des Franciscanerordens (Archiv 1891) pag. 39.

[2] Anal. Bollandiana t. XVIII pag. 174.

[3] Anal. Franciscana t. II. pag. 89.

[4] Sabatier, Étude critique des sources (Introd. ad « Vie de S. François ») II. IX (in ed. 6. pag. LXXXI sqq.). — Decreto Parisiensi imprimis legenda *secunda* Celanensis prohibita esse videtur. Clarenus scribit: « Communicaverat sanctus Franciscus plurima sociis suis et fratribus antiquis, quae oblivioni tradita sunt, tum quia, quae scripta erant in legenda prima, nova edita a fratre Bonaventura deleta et destructa sunt, ipso jubente, tum

terant « Communitati ». Sapientissimus hic ac sanctus Ordinis moderator tempore sui officii omni modo ad *servandam pacem* et *impediendam ordinis divisionem* incubuit; de quo Clarenus suo modo scribit: « Silere fecit omnes viros sanctos et timentes « Deum, qui erant in religione, tribulatio ista quarta « et redegit in solitudinem corda multorum et de« sertas fecit mentes et linguas ridentium in aridi« tatem vertit et in vinculo ferreo compedivit [1] ».

II. *De legendis S. Francisci quae inter « Spirituales » speciatim adhibebantur.*

1. Inter « Spirituales » speciatim adhibita inveniuntur legenda *secunda* fratris *Thomae de Celano*, *scripta fratris Leonis*, *Speculum perfectionis* ac *legenda antiqua*. Quae omnia intime cohaerent, easdem habent ideas ac eadem magna ex parte referunt facta, unde se invicem approbant atque confirmant [2].

---

quia contemptui sunt habita, eo quod adversari viderentur cursui communi et conversationi communi et affectui hominum modernorum » (Ehrle, Die Spiritualen l. c. p. 265).

[1] L. c. pag. 287.

[2] Fere omnes v. g. ideae opusculi, quod scripsit frater Leo « de intentione S. Francisci » habentur etiam in legenda secunda; quare parum interest, si quis, contra testimonium testium coaevorum, ipsam opusculi compositionem fratri Leoni alienam declarare maluerit. Ad num. 1 opusculi conf. II. Cel. 3. 1; ad num. 2 et 3 conf. 3. 17; ad num. 5 conf. 3. 8; « de novitio » conf. 3. 124 (fratri laico volenti habere psalterium et ab eo licentiam postulanti cinerem pro psalterio obtulit »); ad num 7 conf. 3. 99; ad num. 8 et 9 conf. 3. 100; ad num. 14 conf. 3. 2.

2. Facile omnes cognoscunt, legendam secundam Celanensis, legendam antiquam ac Speculum perfectionis *ex uno eodemque fonte hausisse;* quod confirmat et explicat traditio, secundum quam *scriptis sociorum S. Francisci* innituntur, qui revera « Spiritualium » antesignani extiterunt.

3. *Fr. Crescentius* praeceperat « universis fra« tribus, quod sibi in scriptis dirigerent, quiquid « de vita, signis et prodigiis beati Francisci scire « veraciter possent: quo inducti frater *Leo* et frater « *Angelus* et frater *Rufinus,* quondam socii ipsius « Sancti, tanquam testes fideles, quae viderant, in « scriptis redegerunt [1] ». Magnam hucusque peperit difficultatem, quod ista occasione a sociis legendam « trium sociorum » transmissam habuerunt. At Minocchi (1899), Analecta Bollandiana (1900) atque Vita B. Aegidii a fratre Leone scripta legendam dictam apocrypham evincunt, quo jam patet aditus ad rem perspiciendam. Socii nec jussi erant legendam scribere, nec « per modum legendae » scripserunt, sed P. Crescentio *sola* miserunt documenta, quae ipse legendis confectis « *poterit facere inseri, si viderit discretio esse justum* » [2].

---

[1] Memoriale Ordinis Minorum (in « Farmamentum Minorum » Venetiis 1513, I) fol. 33 a.

[2] Conf. Documenta Antiqua Franciscana, p. I. pag. 31; Alvarus Pelagius, De planctu ecclesiae II fol. 150 b memorat scripta sociorum (« *Sicut scripserunt socii sui,* vita et miraculis corusci »).

Hisce sociorum scriptis innituntur *legenda secunda Celanensis* et redactio *prior Speculi perfectionis*, de quibus plura nunc dicenda.

A. De legenda *secunda* fratris *Thomae de Celano*.

1. Minister Generalis P. Crescentius ipse fratri Thomae scripta sociorum compilanda mandavit. « *Et* « *post* frater Thomas de Celano de mandato ejusdem « Ministri et generalis capituli primum tractatum le- « gendae beati Francisci, de vita scilicet et verbis « et intentione ejus circa ea, quae pertinent ad re- « gulam, *compilavit* [1] », quibus verbis S. *Antoninus* in suis Chronicis addidit « ex relationibus factis a plurimis [2] ».

2. Tractatus vocatur « Memoriale de *gestis* et *verbis* sanctissimi Patris nostri Francisci », quo duae partes indicantur, quas codex Assisiensis etiam distinguit [3].

Pars *prior* agit « de *gestis* », « de *conversatione* » beati Francisci [4], pars altera de *verbis*. Quae

[1] Anal. Franc. t. III. (Chronica XXIV Generalium Ordinis Minorum), pag. 262.

[2] Chronicorum Pars tertia Tit. XXIII cap. IX. (ed. Lugd. 1586 pag. 776).

[3] Codex 686 Bibl. Municip. Assis. partem II et III non distinguit.

[4] Anal. Franc. t. III. pag. 276: « Solum de ejus *conversatione* et *verbis* in primo tractatu fecerat mentionem »; pars II ed. Amoni agit de verbis *propheticis*, pars III. de verbis *instructivis;* conf. Sabatier Étude l. c. pag. LXXVI.

pars specialem habet introitum, in quo inter alia frater Thomas dicit: « Extimo, beatum Franciscum « *speculum* quoddam sanctissimum dominicae san- « ctitatis et imaginem *perfectionis* illius ». Tabula, quam Sabatier in sua Speculi editione exhibet [1], ob oculos ponit similitudinem, quae habetur tam *quoad materiam,* quam *quoad materiae dispositionem* et *ordinem* inter Memorialis partem alteram et Speculum perfectionis (red. II a), de qua re plura hic notantur.

3. Quoad *materiam duplex* habetur differentia inter Speculum (red. II a) et Memoriale-

a) Speculum plura habet in redactione secunda, quae desunt in Memoriali, *tum* quia redactio haec non est compilata ex iis *solis* scriptis, quae socii anno 1246 transmiserant, *tum* quia frater Thomas aliqua in suo Memoriali *praetermisit:* « huius Ber- « nardi, inquit ex. gr., laudes aliis narrandas re- « linquimus [2] », alia vero in altera suae legendae parte, *in Tractatu de miraculis,* posuit [3].

Nec praetermittimus, quod editio Speculi in Sabatier facta secundum cod. Mazar. 1743 plura habet capita et capitum augmenta, quae desunt in codici-

---

[1] Pag. CXXVIII « Rapports de 2. Cel. 2 et 3 avec le Speculum perfectionis ». In « Étude des Sources » l. c. pag. LXXV nota 4 Sabatier loquitur de similitudine inter legendam « trium sociorum » et Memorialis partem priorem; quod confirmat ea, quae diximus Doc. Ant. Franc. I. pag. 27: « Postquam Speculum in usum fratrum transiit, auctor quidam legendam ‚trium sociorum' addidit ». [2] II. Cel. 2. 17.

[3] Conf. Tractatus (Anal Boll. t. XVIII) n. 32, 37, 38.

bus vetustioribus [1]. Redactio *critica* Speculi plures tollet difficultates et valorem hujus libri pretiosi ob oculos ponet. Codex Assisiensis econtra, secundum quem Memoriale fratris Thomae editum est, *incompletus* esse videtur, quod tum codex *Marsiliensis* [2], tum opusculum « *Extractiones de devotis et nobilioribus beati Francisci factis de legenda antiqua* » commendat [3].

---

[1] V. g. in codd. 1/25 et 1/184 archivi S. Isidori.

[2] Conf. Anal. Bolland. t. XVIII pag. 101–105.

[3] Opusculum hoc in pluribus codicibus invenitur, ex. gr. in codice archivi S. Isidori 1/73 fol. 26 b sqq. et in codice MS, qui habetur in collegio S. Antonii de Urbe; qui est codex membraneus, in 4°, saec. XIV conscriptus, qui primo loco exhibet legendam majorem S. Bonaventurae multis imaginibus ornatam, deinde diversa Franciscana, inter quae fol. 74 a — 77 b dictas « Extractiones de legenda antiqua ». « Extractiones » verbotenus desumptae sunt ex legenda secunda Celanensis, in primis ex capitibus, quae agunt de S. Francisci paupertate, devotione ac humilitate. Compilatoris intentio fuisse videtur legendam majorem S. Bonaventurae ex illa legenda *supplere. Aliqua opusculum* refert, quae desunt in codice Assisiensi. Capiti v. g. 3. 81 praecedunt verba: « Dum semel interrogatus esset a quodam rustico, an esset ipse Franciscus, respondit, quod sic. , Stude ergo, ait rusticus, adeo bonus esse, ut ab hominibus , diceris, quoniam multi confidunt de te, quare te moneo, ut , nunquam de te sit aliter, quam speratur '. Sanctus hoc audiens de asino se misit in terram et coram rustico provolutus osculabatur pedes ejus, humiliter gratias agens ei quod eum dignatus esset monere »; conf. Anal. Bolland. l. c. pag. 104 nota 4. — Ad cap. 3. 93 vero addunt tam codex Mars., quam « Extractiones » ea, quae leguntur in Spec perf. cap. 70, pag. 136; codex Mars. et codex coll. S. Antonii habent eadem quae habet Spec. l. c. a linea 2–16, codex 1/73 vero, quae a linea 2–6 (« Vae autem »).

b) Capita, quae Memoriali et Speculo communia sunt: alia *iisdem,* alia eaque plura *diversis* exhibentur verbis, Speculum perfectionis magis *textum originalem* sociorum sequitur, quod ostendit *concordantia utriusque Speculi,* quae articulo sequente memorabitur; Celanensis vero textum sociorum plerumque *« suo decoravit eloquio »*.

Exempli gratia:

Celanensis refert (3. 31):	Speculum refert (c. 21):
« Aderat in quodam loco frater quidam ad eleemosynam nullus, ad mensas plures, quem sanctus attendit ventris amicum, fructus participem, laboris expertem ».	« In primordio religionis... erat inter eos quidam frater, qui parum orabat et non laborabat, pro eleemosyna ire nolebat et bene comedebat ».

Stilum Celanensis hac relatione statim cognoscimus.

Celanensis refert (Tr. de mir. n. 37):	Speculum refert (c. 112).
« Scribitur littera, quaeritur nuntius pernicitate vigens et inventus ad iter succingitur. Confestim ad portam sonus auditur equorum, militum strepitus, celebritas comitivae ».	« Scripserunt litteram, sicut dixit sanctus, et quidam frater ibat quaerendo aliquem fratrem, qui portaret litteram dominae praedictae, et statim pulsatum fuit ad ostium loci. Quumque aperuisset ostium quidam frater, ecce domina Iacoba aderat, quae cum magna festinatione venerat ad visitandum beatum Franciscum.

Difficulter quidem *prioritas* unius relationis prae altera statuitur, hic vero Speculo locum priorem tribuere licet.

In capitulo « De fratre Joanne simplici »

CELANENSIS REFERT (3. 120):

« Audientes hoc parentes et parvuli fratres accurrunt cum lacrymis plus bovem, quam hominem sibi auferri dolentes; quibus sanctus: ‚Animaequiores estote, en reddo vobis bovem, aufero fratrem' ».

SPECULUM REFERT (c. 57):

« Dixit beatus Franciscus: ‚Iste filius vester vult servire Deo, et de hoc non debetis contristari, sed plurimum gaudere. Vobis autem non tantum secundum Deum, sed etiam secundum istud saeculum reputatur ad magnum honorem et profectum animarum et corporum, quia de carne vestra honoratur Deus, et omnes fratres nostri erunt vestri filii et fratres. Et, quia creatura Dei est et suo creatori vult servire, cui servire regnare est, non possum, nec debeo ipsum reddere vobis, sed, ut de ipso habeatis consolationem, volo, quod ipse expropriet se vobis de isto bove tanquam pauperibus, licet deberet ipsum dare aliis pauperibus secundum evangelium'. Et consolati sunt omnes in verbis sancti Francisci, et maxime laetati sunt de bove, qui redditus fuit eis, et quia pauperes erant valde ».

Quae verba S. Francisci fidelius in Speculo referri, dubium esse nequit, et tota Speculi relatio prae se fert authentiam.

4. Quoad *ordinem et dispositionem materiae* magna pariter est inter Memoriale et Speculum similitudo [1]; cum vero neutrum ab altero dependeat, ordo

[1] Notandum est, ordinem capitum Speculi in codicibus aliquando variari (v. g. codd. 1/25 et 1/184 archivi S. Isidori).

idem jam in scriptis sociorum fuisse videtur. Speculum in plerisque codicibus dividitur in capita 13, quae agunt « de paupertate », « de caritate », « de humilitate ». « de oratione » etc. sancti Francisci; eadem capita facile cognoscuntur in Memoriali, et codex ipsius, quem adhibuit Pisanus, simili modo divisus esse videtur [1].

B. De Speculi priori redactione.

1. Jam pluries diximus, duas in codicibus manuscriptis haberi Speculi redactiones.

Redactio, quam Sabatier edidit, initio saeculi XIV composita esse videtur. Hoc tempore ipsam jam adhibuit *P. Jacobus a Trisanto* [2], qui in sermone secundo secundi ternarii de S. Francisco haec habet: « Dicitur in libello, qui intitulatur *Speculum perfe-* « *tionis* fratris minoris, quod priusquam secunda « regula, quam fecerat beatus Franciscus, perdita « fuit, ipse beatus Pater ascendit quendam montem « cum fratre Leone de Assisio et fratre Bonicio de « Bononia, ut faceret aliam regulam, quam Christo

[1] Conf. Conform. XII Pars II, quo loco citat Pisanus « legenda fratris Thomae, cap. de paupertate », « cap. de oratione », « cap. de caritate »; conf. cod. Assis. — E contra codex 1/184 archivi S. Isidori, quem Waddingus pluries adhibuit notisque auxit, non habet divisionem dictam in 13 capita. — Ordo, quem habet editio legendae secundae, non ubique convenit aliis jam nominatis codicibus.

[2] Conf. Sbaralea, Supplementum pag. 63 num. 392 et pag. 378 num. 1968. Sabatier loco « *priusquam* secunda » legit « *postquam* secunda »; « priusquam » magis concordat Leg. maj. S. Bonav. cap. 4.

« docente scribi fecit. Tunc congregati plures mini-
« stri dixerunt fratri Eliae, qui erat vicarius ejus:
, Audivimus quod pater noster Franciscus facit no-
, vam regulam; timemus autem, ne faciat eam ni-
, mis asperam. Vade ergo ad eum et dicas ex parte
, nostra, quod non faciat eam nimis asperam ita,
, quod fratres eam servare non possint '[1] ». Codex vero, qui habetur Florentiae in conventu Fratrum Minorum ad Omnes Sanctos, in fine Speculi haec habet verba: « *Actum in sacrosancto loco sanctae Mariae de Portiuncula et completum V. Idus Maji Anno Domini MCCCXVIII*[2] ».

2. Redactio *prior* Speculi perfectionis invenitur in cod. 1/73 archivi S. Isidori[3] fol. 34 a–58 b. Hisce verbis exhibetur: « In nomine Domini incipit Spe-
« culum perfectionis, regulae et professionis, vitae
« et vocationis veri fratris minoris secundum vo-
« luntatem Christi et intentionem beati Francisci,
« compositum ex quibusdam repertis in scriptis
« sancti fratris Leonis, socii beati Francisci, et alio-
« rum sociorum ejus, quae non sunt in legenda
« communi ». Quae ultima verba *intentionem* nominant compilatoris: collegit ex scriptis sociorum aliqua, « *quae non sunt in legenda communi* »; hanc esse *legendam S. Bonaventurae* comparatio

[1] Conf. Speculum perfectionis cap. 1.

[2] Minocchi l. c. pag. 13–19 fusius hunc codicem describit.

[3] Conf. Documenta Ant. Franc. I. pag. 10 num. 3; de hoc codice plura dicentur, ubi de nonnullis codicibus dicti archivi dicemus.

utriusque scripti ostendit. Speculum nostrum est *supplementum legendae majoris Doctoris Seraphici;* hinc post ac propter decretum Patavinum (1277), quod novas de gestis S. Francisci ordinavit inquisitiones, compositum esse videtur.

3. Dicta verba etiam *fontem* Speculi prioris indicant: « *scripta sancti fratris Leonis, socii beati Francisci, et aliorum sociorum ejus* ». Eadem haec esse scripta ac illa, quae Celanensis compilavit, Memoriale suum demonstrat, in quo omnes fere paragraphi Speculi nostri habentur [1]. Redactio vero *altera* Speculi demonstrat, in libello nostro haberi *textum originalem sociorum.*

Speculum enim secundum *non sequitur Speculum prius,* cum multo plura facta referat; compilator illius in initio ipse testatur, se ea compilasse, « quae in diversis locis scripserunt et scribi fecerunt seu retulerunt soci beati Francisci ». *Omnia vero, quae utrique Speculo sunt communia, iisdem fere verbis exhibentur* [2], quod explicari nequit, nisi utrumque compilatorem *ipsa* verba sociorum trans-

---

[1] Aliqua Celanensis omisit, quae jam exhibuit in legenda prima; v. g. quod fratres primi leprosis serviebant (l. Cel. 39), quomodo corpus S. Francisci portatum est ad monasterium S. Clarae (l. Cel. 116). Speculum secundum duas habet narrationes de domo apud S. Mariam de Angelis constructa (c. 7 et 8); Memoriale Celanensis exhibet unam (3. 3), Speculum nostrum alteram.

[2] Aliquibus locis Speculum secundum nonnulla verba et explicationes addit, Speculum prius vero puriorem et magis simplicem textum praebet.

sumpsisse dicimus, quod tam analogia ex opusculis fratris Leonis, quae Speculum secundum verbotenus transscripsit, deducta, quam Speculi prioris tenor bene confirmant. Omnia enim prodiunt testes oculatos; cuncta requirunt discipulos familiares; verba sunt simplicia et colores vividi; plura pluries referuntur et speciali amore pinguntur caritas, quam sanctus Pater suis et omnibus exhibuit, paupertas ipsius ac humilitas; relationes tam simplices sunt, ut fictio vel imitatio excludatur.

4. Quod ordinem Speculi nostri attinet, aliquando compilator eodem nexu ac ordine progreditur, ac Memoriale et Speculum secundum; saepius vero adjunctis temporis et loci unius facti utitur ut aliud simile adjungat. Quae relatio in tabula, quae textum sequetur, patescet [1].

[1] In calce editionis hujus indicantur capitula redactionis II secundum editionem a Sabatier factam, cujus variantes non notantur. Aliqua ex hac editione correximus.

SPECULUM PERFECTIONIS.

[In nomine Domini incipit Speculum perfectionis, regulae et professionis, vitae et vocationis veri fratris minoris secundum voluntatem Christi et intentionem beati Francisci; compositum ex quibusdam repertis in scriptis sancti fratris Leonis, socii beati Francisci, et aliorum sociorum ejus, quae non sunt in legenda communi. In quo speculo relucet et aliqualiter perfectio vitae beati Francisci [1].]

1. Beatus Franciscus pro maxima nobilitate, dignitate et curialitate secundum Deum et secundum saeculum istud habebat petere eleemosynas amore Domini Dei, quoniam omnia, quae Pater coelestis pro utilitate hominis creavit propter amorem dilecti filii, dignis et indignis gratis pro eleemosyna concessa sunt post peccatum.

Unde dicebat beatus Franciscus: « Magna liber-« tate et omni hilaritate servus Dei eleemosynas « amore Dei petere debet, quam ille, qui pro sua « curialitate et largitate, cum vellet aliquid emere,

[1] In codice haec colore rubro scripta sunt. Numeri ibi desunt.

« iret dicendo: ‚Quicunque dabit talem mihi num-
‚matam, dabo sibi centum marcas argenti, immo
‚mille plus', quoniam servus Dei offert amorem Do-
« mini, quem meretur homo, qui facit eleemosynas,
« in cujus comparatione omnia, quae sunt in hoc
« saeculo, nihil sunt et etiam, quae in coelo ».

Unde, antequam fratres essent multiplicati ac etiam postquam multiplicati fuerunt, cum irent per mundum praedicando, beatus Franciscus, cum aliquis nobilis homo et dives cum devotione rogaret ipsum, ut comederet in domo sua aut apud ipsum hospitaretur, cum in multis civitatibus et castris ad quas ibat ad praedicandum, tempore suo non erant loca fratrum, licet nosset, quod ille, qui invitaverat ipsum, omnia necessaria corporis abundanter amore Domini praeparasset, tamen ipse propter bonum exemplum fratrum et propter dignitatem et nobilitatem dominae paupertatis in hora comestionis ibat pro eleemosyna ac aliquando dicebat illi, qui invitaverat ipsum: « Ego nolo dimittere dignitatem meam « regalem et vocationem meam et professionem meam « et fratrum meorum, videlicet ire pro eleemosynis, « etiam si non amplius apportarem, quam tres elee- « mosynas, quoniam volo exercere officium meum ». Et sic ipso volente ibat pro eleemosynis, et ille, qui invitaverat ipsum, ibat cum eo; eleemosynas, quas acquirebat beatus Franciscus, accipiebat ille et pro reliquiis propter ejus devotionem reponebat. Qui hoc scripsit, vidit multoties et testimonium perhibet [1].

---

[1] Conf. Spec. cap. 22.

2. Immo quodam tempore, cum visitaret dominum episcopum Ostiensem, qui postea fuit papa, in hora comestionis quasi furtive propter dominum episcopum ivit pro eleemosynis, et, cum reversus fuit, dominus episcopus sedebat ad mensam et comedebat, maxime quia tunc invitaverat quosdam milites suos et consanguineos ad comedendum. Beatus Franciscus posuit eleemosynas super mensam domini episcopi et intravit ad mensam juxta dominum episcopum, quoniam dominus episcopus semper volebat, quod, cum beatus Franciscus esset apud ipsum in hora comestionis, sederet juxta ipsum, et verecundatus est inde aliquantulum dominus episcopus eo, quod ivit pro eleemosynis beatus Franciscus, sed nihil dixit ei, maxime propter recumbentes. Postquam aliquantulum comedit beatus Franciscus, accepit de suis eleemosynis et unicuique militi et capellanis domini episcopi parum misit ex parte Domini Dei; qui omnes cum multa devotione acceperunt, alii comedentes, alii reponentes propter devotionem ejus. Immo extrahebant sibi infulas [1] propter devotionem beati Francisci, cum accipiebant eleemosynam; et gavisus est dominus episcopus propter devotionem illorum, maxime quia illae eleemosynae non erant de pane tritici. Post comestionem vero surrexit dominus episcopus et intravit cameram suam ducens secum B. Franciscum et elevans brachia sua amplexatus est beatum Franciscum prae nimio gaudio et exultatione dixitque ad eum: « Cur, frater mi simplicone, fe-

[1] Infula est « ornamentum capitis sacerdotale » (Forcellini).

« cisti mihi verecundiam, ut in domo mea, quae est « domus tua et fratrum tuorum, ires pro eleemosy- « nis » ? Respondit ei beatus Franciscus: « Immo, « domine, exhibui vobis honorem, quoniam, cum « subditus exercet et implet officium suum et obe- « dientiam domini sui, facit honorem domino suo et « ejus praelato ».

Et ait: « Me oportet esse formam et exemplum « pauperum vestrorum, maxime quia scio, quod in « vita et religione fratrum sunt et erunt nomine et « opere fratres minores, qui propter amorem Domini « Dei et Spiritus sancti unctionem, qui docet et do- « cebit eos de omnibus, humiliantur et humiliabun- « tur ad omnem humilitatem et subjectionem et ser- « vitutem fratrum suorum. Sunt etiam et erunt de « illis, qui verecundia detenti et propter malum « usum dedignantur et dedignabuntur se humiliare « et inclinare ad eundum pro eleemosynis et facere « hujusmodi opera servilia; quapropter oportet me « omnes, qui sunt in religione et erunt, opere do- « cere, ut sint inexcusabiles in hoc saeculo et in « futuro coram Deo. Existens quidem apud vos, qui « estis Dominus et Apostolicus noster, et apud ma- « gnates et divites secundum saeculum, qui propter « amorem Domini Dei cum multa devotione non « tantum me recipiunt in domos suas, sed et cogunt « me, nolo verecundari ire pro eleemosynis; immo « volo habere et tenere secundum Deum pro magna « nobilitate et regali dignitate et honore illius summi « regis, qui, cum sit Dominus omnium et cum esset « dives et gloriosus in majestate sua, pauper et de-

« spectus venit in humilitate nostra. Volo ergo, quod « sciant fratres, qui sunt et erunt, quod pro majori « consolatione animae et corporis habeo, cum sedeo « ad mensam pauperculam fratrum et video coram « me eleemosynas pauperculas, quae acquiruntur « ostiatim amore Domini, quam cum sedeo ad ve- « stram mensam et aliorum dominorum abundanter « de omnibus cibis praeparatam, licet cum devotione « multa mihi exhibeantur; panis enim eleemosynae « est panis sanctus, quem sanctificat laus et amor « Dei, quoniam, cum frater vadit pro eleemosynis, « prius debet dicere: ‚Laudatus et benedictus sit Do- ‚minus Deus', postea debet dicere: ‚Facite nobis ‚eleemosynam amore Domini Dei' ». Et plurimum fuit aedificatus dominus episcopus de collatione verborum sancti Patris et dixit ad eum: « Fili, quod « bonum est in oculis tuis, facias, quoniam Deus te- « cum est, et tu cum ipso ».

Nam voluntas beati Francisci fuit, et etiam multoties dixit, quod frater non deberet diu stare, quin iret pro eleemosyna, ut non verecundaretur postea ire. Immo quanto frater magis fuisset nobilis et magnus in saeculo, tanto magis de eo erat aedificatus et laetabatur, cum iret pro eleemosyna et faceret hujusmodi servilia opera propter bonum exemplum. Quod ita fiebat in antiquo tempore [1].

3. Unde in primordio religionis, cum manerent fratres apud Rigum Tortum, erat quidam frater in-

[1] Conf. Spec. cap. 23.

ter eos, qui parum orabat et non laborabat et pro eleemosyna ire nolebat, quoniam verecundabatur, sed bene comedebat; quapropter considerans hoc beatus Franciscus cognovit per Spiritum sanctum, quod erat carnalis homo; unde dixit ad eum: « Vade viam « tuam, frater musca, quoniam vis comedere labo- « rem fratrum tuorum, et tu vis esse otiosus in « opere Dei, sicut frater apone, qui non vult lucrari « et laborare et comedit laborem et lucrum bona- « rum apium ». Et sic ivit viam suam et, quia carnalis erat, non imploravit misericordiam [1].

4. Cum in palatio episcopatus Assisii beatus Franciscus jaceret valde infirmus, ad consolandum tamen spiritum suum, ne deficeret aliquando ex magnis et diversis suis infirmitatibus, saepe de die suos socios cantare faciebat, quae ipsemet longo tempore ante in sua infirmitate fecerat, similiter etiam de nocte; maxime ad aedificationem illorum custodum, qui de nocte extra palatium propter ipsum evigilabant. Cumque consideraret frater Elias, quod beatus Franciscus ita se confortaret et gauderet in Domino in tanta infirmitate positus, quadam die dixit ad ipsum: « Ca- « rissime pater! de omni laetitia, quam pro te et pro « sociis tuis in tanta afflictione et infirmitate osten- « dis, sum plurimum consolatus et aedificatus; sed « licet in vita et in morte homines istius civitatis te « venerentur pro sancto, quia tamen credunt firmiter « propter tuam magnam et incurabilem infirmitatem

[1] Conf. Spec. cap. 21.

« te in proximo moriturum, audientes hujusmodi « laudes cantari, possunt cogitare aut dicere intra « se: ‚Quomodo tantam laetitiam hic ostendit, qui ‚ est prope mortem? deberet enim de morte cogi- ‚ tare' ». Dixit ad eum B. Franciscus: « Recordare, « cum apud Fulgineum visionem vidisti et dixisti « mihi, quod quidam tibi dixerunt, quod non de- « berem vivere nisi duobus annis. Antequam illam « visionem videres per gratiam sancti Spiritus, qui « omne bonum suggerit in corde et in ore ponit « fidelium suorum, saepe de die et de nocte consi- « derabam finem meum; sed ab illa hora, qua vi- « disti visionem, quotidie fui magis sollicitus consi- « derare diem mortis ». Et ait cum magno fervore spiritus: « Dimitte me, frater, gaudere in Domino et « laudibus eius et in infirmitatibus meis, quoniam « gratia Spiritus sancti cooperante ita sum unitus et « convinctus cum Domino meo, quod per misericor- « diam suam bene possum in ipso jucundari Altis- « simo [1] ».

5. Alia vice in illis diebus quidam medicus nomine *Bonojohannes* de Aretio, qui notus et familiaris erat beato Francisco, in eodem palatio visitavit eum, quem beatus Franciscus interrogavit de sua infirmitate dicens: « Quid tibi videtur, frater Ioan- « nes, de hac infirmitate mea hydropisi »? Nam beatus Franciscus nolebat aliquem nominare, qui nomine vocaretur bonus, propter reverentiam Domini, qui

[1] Conf. Spec. cap. 121.

dixit: « Nemo bonus, nisi solus Deus ». Similiter nec patrem nec magistrum volebat aliquem nominare, nec in litteris suis scribere propter reverentiam Domini, qui dixit: « Nolite vocare patrem vobis super terram, nec vocemini magistri » etc. Dixit ad eum medicus: « Frater! bene tibi erit per gratiam Domini Dei »: nolebat enim dicere, quod in brevi deberet mori. Iterum dixit ei beatus Franciscus: « Dic mihi veritatem; quid tibi videtur? Noli « timere; quoniam per Dei gratiam non sum corcu- « lus, ut mortem timeam, quoniam cooperante gratia « per misericordiam suam ita sum convinctus et uni- « tus cum Domino meo, quod aeque sum contentus « de morte et de vita ».

Dixit ergo ad eum medicus manifeste: « Pater! « infirmitas tua est incurabilis secundum nostram « physicam; aut in fine hujus mensis aut quarto « nonas Octobris morieris ». B. Franciscus, cum jaceret in lecto infirmus, cum maxima reverentia et devotione ad Dominum expansis manibus et brachiis cum laetitia magna utriusque hominis dixit: « Bene veniat soror mea mors [1] »!

6. Beato Francisco revelavit Dominus salutationem, quam deberet facere, sicut ipse scribi fecit in testamento suo dicens: « Dominus mihi revelavit, « ut deberem dicere pro salutatione: ‚Dominus det « tibi pacem' »! Unde in primordio religionis, cum iret B. Franciscus cum quodam fratre, qui fuit

[1] Conf. Spec. cap. 122.

unus de primis duodecim fratribus, ille frater salutabat homines et mulieres per viam et eos, qui erant in agro, dicens: « Dominus det tibi vel vobis pacem »! Et quia homines non audierant adhuc fieri ab aliquibus religiosis tale salutationem, plurimum inde mirabantur; immo aliqui homines quasi cum indignatione illis dicebant: « Quid sibi vult ista talis salutatio »? ita quod frater ille coepit inde plurimum verecundari, unde dixit B. Francisco: « Dimitte me, frater, aliam salutationem fa- « cere ». Dixit ad eum beatus Franciscus: « Dimitte « illos dicere, quia non percipiunt, quae Dei sunt; « sed noli inde verecundari, quoniam dico tibi, fra- « ter, quod adhuc nobiles et principes hujus saeculi « de hujusmodi salutatione tibi et aliis fratribus re- « verentiam exhibebunt [1] ».

7. Beatus Franciscus omnes fratres tam ministros, quam praedicatores informabat ad opera dicens eis, quod propter praelationem et officium et sollicitudinem praedicandi non deberent dimittere sanctam et devotam orationem, ire pro eleemosyna, operari manibus suis, sicut alii fratres, propter bonum exemplum et lucrum animarum suarum et aliorum. Et dicebat: « Multum aedificantur fratres subditi, « cum eorum ministri et praedicatores vacant liben- « ter orationi; et inclinantur subditi ad humilitatem, « cum vident praelatos et majores coadjutores ope- « rantium et laborum suorum ». Unde ipse tanquam

[1] Conf. Spec. cap. 26 (pag. 52 lin. 5).

fidelis zelator et imitator Christi, dum corpore fuit sanus, operabatur in se, quod docebat fratres suos [1].

8. Quadam die, cum jaceret infirmus B. Franciscus in palatio episcopatus Assisii, quidam frater spiritualis et sanctus homo dixit ad illum, quasi ludendo et ridendo: « Quantum venderes omnes tuos « saccos Domino? Multi baldachini et panni se- « rico ponentur et cooperientur super hoc corpu- « sculum tuum, quod modo indutum est sacco ». Habebat enim tunc B. Franciscus infulam pelliceam propter infirmitatem, quae cooperta erat de sacco. Respondit B. Franciscus ei, non ipse, sed spiritus sanctus per ipsum, cum magno fervore spiritus et laetitia dicens: « Tu verum dicis, quoniam ita erit [2] ».

9. Videns beatus Franciscus, dum in eodem palatio maneret, quod quotidie magis gravaretur in infirmitate, fecit se portari in lecto ad Ecclesiam S. Mariae de Portiuncula, quia equitare non poterat propter gravitatem suae maximae infirmitatis. Cumque qui portabant ipsum, transirent per viam prope hospitale, dixit illis, ut ponerent lectum in terra. Et quia propter maximam et longam infirmitatem oculorum quasi videre non poterat, fecit verti lectum, ut teneret faciem versus civitatem Assisii. Et erigens se parumper in lecto benedixit civitatem Assisii dicens: « Domine, sicut credo, quod haec civitas antiquo tem-

---

[1] Conf. Spec. cap. 73.

[2] Conf. Spec. cap. 109.

« pore fuerit locus et habitatio malorum et iniquo-
« rum hominum et iniquae famae omnibus his pro-
« vinciis, sic video: propter abundantem misericor-
« diam tuam tempore, quo placuerit tibi, ostendisti
« multitudinem miserationum tuarum in ea, ut esset
« locus et habitatio illorum, qui te cognoscerent et
« darent gloriam nomini tuo et odorem bonae vitae
« et doctrinae et bonae famae omni populo chri-
« stiano. Rogo te ergo, Domine Jesu Christe, Pater
« misericordiarum, ut non consideres ingratitudinem
« nostram, sed recordare semper abundantis mise-
« ricordiae tuae, quam ostendisti in ea, ut semper
« sit locus et habitatio illorum, qui te cognoscant et
« glorificent nomen tuum benedictum et gloriosum
« in saecula saeculorum. Amen ». Et his dictis de-
portatus fuit ad sanctam Mariam de Portiuncula [1].

10. Beatus Franciscus a tempore suae conver-
sionis usque ad diem mortis semper sollicitus fuit
tempore sanitatis et infirmitatis cognoscere et sequi
voluntatem Domini. Quodam die quidam frater di-
xit beato Francisco: « Pater! vita et conversatio tua
« extitit et est lumen et speculum non solum fra-
« tribus tuis, sed etiam universali ecclesiae Dei, et
« illud idem erit mors tua; quoniam, licet fratribus
« tuis et quam plurimis aliis tua mors sit dolor et
« tristitia magna, tibi tamen erit consolatio maxima
« et gaudium infinitum, quia transibis de multo la-
« bore ad maximam requiem, de multis doloribus

[1] Conf. Spec. cap. 124.

« et tentationibus ad gaudium infinitum, de magna « paupertate tua, quam semper dilexisti et portasti « voluntarie ab initio conversionis tuae ad Christum « usque ad diem mortis tuae, ad maximas et veras « et infinitas divitias, de morte temporali ad vitam « sempiternam, ubi videbis semper Dominum Domi- « nantium facie ad faciem, quem tanto fervore, de- « siderio et amore in hoc saeculo contemplatus es ». Et his dictis dixit ei manifeste: « Pater! scias in ve- « ritate, quod si Deus de coelo suam non mittet medi- « cinam corpori tuo, tua infirmitas est incurabilis, et « parum vivere debes, sicut medici jam dixerunt. « Hoc autem dixi ad confortandum spiritum tuum, « ut gauderes semper interius et exterius, maxime « ut fratres tui et alii, qui veniunt ad te visitan- « dum, inveniant te gaudentem in Domino, quoniam « sciunt et credunt te cito mori, ut ipsis hoc viden- « tibus et aliis, qui audierint, post mortem tuam, sit « in memoriale tua mors, quomodo omnibus exstitit « tua vita et conversatio tua ». B. Franciscus, licet in infirmitatibus esset plurimum praegravatus, cum magno fervore spiritus et laetitia utriusque hominis laudavit Dominum dixitque illi: « Ergo, si cito de- « beo mori, vocate mihi fratrem Angelum et fratrum « Leonem, ut cantent mihi de sorore morte ». Iverunt fratres illi coram ipso et cum multis lacrimis can- taverunt canticum fratris solis et aliarum creatura- rum Domini, quod fecit ipse in infirmitate sua ad laudem Domini et consolationem animae suae et alio- rum, in quo cantu ante versum ultimum posuit ver- sum de sorore morte videlicet: « Laudato sia Misi-

« gnore, per nostra sorore morte corporale, dala « quale nullo homo vivente po scapare. Vay a que- « gli, ke morono nelli peccati mortali. Beati quegli, « ke trovarone ne le tue sanctissime voluntadi; ka « la morte secunda no gle fara male [1] ».

11. Quadam die beatus Franciscus vocavit ad se socios suos dicens: « Vos scitis, quemadmodum « domina Jacoba de Septemsoliis mihi et religioni « nostrae exstitit et est fidelis plurimum et devota; « quapropter, ut credo, si significaveritis ei statum « meum, pro magna gratia et consolatione habebit; « et specialiter, ut mittat nobis pannum pro una tu- « nica de panno religioso, qui colori cineris assimi- « latur, et est tanquam pannus, quem faciunt mo- « nachi Cistercienses in ultramarinis partibus; mit- « tat etiam de illa comestione, quam pluries fecit « mihi, cum fui apud urbem ». Illam autem come- stionem dicunt Romani mortariolum, quae fit de amygdalis et zucaro vel melle et aliis rebus.

Erat enim illa spiritualis mulier sancta vidua Deo devota de nobilioribus et ditioribus totius urbis, quae tantam gratiam consecuta est a Deo meritis et praedicatione beati Francisci, ut videretur altera quasi Magdalena, plena semper lacrimis et devotione pro amore Dei.

Et scripta littera, sicut dixerat S. Pater, quidam frater procuraverat invenire aliquem fratrem, qui portaret litteram, et statim pulsatum fuit ad portam

---

[1] Conf. Spec. cap. 123.

fratrum; cumque aperiret ostium quidam frater, vidit dominam Jacobam venire cum festinatione de urbe ad visitandum beatum Franciscum, et statim quidam frater cum magna laetitia ivit ad B. Franciscum nuntians, qualiter domina Jacoba cum filio suo et aliis multis venerat ad visitandum eum, et ait: « Quid faciemus, pater ? dimittemus eam intrare « et venire ad te » ? Nam de voluntate B. Francisci statutum fuit in loco in antiquo tempore propter honestatem et devotionem illius loci, ut nulla mulier deberet intrare claustrum illud. Et ait B. Franciscus: « Non est observanda haec constitutio in ista « domina, quam tam magna fides et devotio de lon« ginquis partibus fecit huc venire ». Et sic introivit ad B. Franciscum, spargens coram ipso multas lacrimas. Et mirum [1], quod pannum morticinum, videlicet cinerei coloris, pro tunica et omnia, quae scripta erant in littera, ut mitteret, secum apportavit, et plurimum admirati sunt inde fratres, considerantes sanctitatem B. Francisci. Immo dixit fratribus domina Jacoba: « Fratres ! dictum fuit mihi « in spiritu, cum orarem: , Vade et visita patrem , tuum, beatum Franciscum, et festina et noli tar- , dare, quoniam, si multum tardaveris, non invenies , ipsum vivum; insuper talem pannum pro tunica , ejus portabis et tales res, ut facias ei talem co- , mestionem; similiter pro ejus luminaribus in ma- , gna quantitate de cera apporta tecum et de in-

[1] Codex: « mirantes ».

, censo similiter' », ut fecit scribi in littera B. Franciscus. Sed Dominus illi dominae voluit inspirare pro mercede et consolatione animae suae, ut melius cognoscamus, quantae sanctitatis fuerit iste sanctus, quem Pater coelestis tanto honore in diebus suae mortis voluit honorare pauperem. Qui regibus inspiravit, ut irent cum muneribus ad venerandum et honorandum puerum dilectum filium suum in diebus nativitatis et paupertatis suae, ille nobili dominae in remotis partibus voluit inspirare, ut iret cum muneribus ad honorandum et venerandum corpus sanctum et gloriosum sancti servi sui, qui tanto amore et fervore in vita et in morte dilexit et secutus est paupertatem dilecti filii sui.

Paravit illa quadam die comestionem illam sancto Patri, de qua desideravit comedere; sed parum comedit ex ea, quoniam quotidie ejus corpus ex infirmitatibus maximis deficiebat et morti appropinquabat. Similiter fecit fieri multas candelas, ut post ejus migrationem coram sancto suo corpore arderent; et de panno, quem pro tunica ejus apportavit, fecerunt inde fratres tunicam sibi, cum qua sepultus fuit. Et ipse jussit fratribus, ut deberent consuere saccum super ipsum in signum et exemplum sanctissimae humilitatis et paupertatis. Et factum est, sicut placuit Domino, ut in illa hebdomada, in qua venit domina Jacoba, beatus Franciscus migraret ad Dominum [1].

---

[1] Conf. Spec. cap. 112.

12. Beatus Franciscus a principio conversionis Domino cooperante velut sapiens seipsum et domum suam, videlicet religionem, fundavit super firmam petram, videlicet super maximam humilitatem et paupertatem filii Dei appellans ipsam Religionem Fratrum Minorum. *Super maximam humilitatem:* unde in principio religionis, postquam fratres coeperunt multiplicari, voluit, quod fratres manerent in hospitalibus leprosorum ad serviendum illis; unde tempore illo, quo veniebant ad religionem nobiles et ignobiles, inter alia, quae eis annuntiabantur, dicebatur, quod oporteret eis servire leprosis et manere in domibus eorum. *Super maximam paupertatem:* sicut in regula dicitur, quod fratres tanquam advenae et peregrini maneant in domibus, in quibus permanent, et nihil sub coelo habere velint, nisi sanctam paupertatem, per quam nutriuntur a Domino in hoc mundo cibis corporalibus et virtutibus et in futuro coelestem consequentur haereditatem.

Se ipsum fundavit supra maximam humilitatem et paupertatem, quia, cum esset magnus praelatus in ecclesia Dei, voluit et elegit abjectus esse non solum in ecclesia Dei, sed etiam inter fratres suos [1].

13. Quadam vice, cum B. Franciscus praedicaret populo Interamnae [2] in platea episcopatus ante episcopatum, episcopus ejusdem civitatis, discretus et spiritualis homo, intererat illi praedicationi; unde

---

[1] Conf. Spec. cap. 44.

[2] Spec. pag. 80: « in Reate »; leg. II. Cel.: « Interamnae ».

finita praedicatione episcopus surrexit et inter alia verba Dei, quae locutus est ad illos, hoc quoque dixit: « Dominus ab initio, ex quo plantavit et ae- « dificavit ecclesiam suam, semper illuminavit eam « sanctis viris, qui verbo et exemplo ipsam excole- « rent. Nunc autem, in hac novissima hora, illu- « stravit eam isto pauperculo et despecto homine « et illiterato, demonstrans B. Franciscum digito « cuncto populo, propter quod tenemini inde Domi- « num diligere et honorare et cavere vobis a pec- « catis, non enim fecit taliter omni nationi ». Finita praedicatione, cum descendissent de loco, ubi praedicaverant dominus episcopus et beatus Franciscus, et intrarent ecclesiam episcopatus, beatus Franciscus inclinavit se coram domino episcopo et procidit ad pedes ejus dicens: « In veritate dico tibi, domine « episcope, quod adhuc aliquis homo non fecit mihi « tantum honorem in hoc saeculo, quantum fecisti « mihi hodie, quoniam alii homines dicunt: ‚Iste « est sanctus homo', attribuendo gloriam et sancti- « tatem creaturae et non creatori. Sed tu separasti « pretiosum a vili, tanquam discretus homo ». Nam saepe, cum beatus Franciscus honorificaretur et diceretur, quod ipse esset sanctus homo, talibus sermonibus respondit dicens: « Non sum adhuc securus, « quod debeam [2] habere filios et filias ». Et dicebat: « Nam, quacunque hora Dominus vellet a me au- « ferre thesaurum suum, quem mihi mutuavit, quid « aliud mihi remaneret, nisi solum corpus et anima,

[1] Spec. pag. 81: « quod non debeo ».

« quae etiam infideles habent ? Immo credere debeo, « quod, si Dominus latroni et etiam infideli homini « tanta bona contulisset, quanta dedit mihi, quod « fideliores me Domino existerent ». Et ait: « Sicut « in pictura Domini et beatae Virginis in ligno de- « picta honoratur Dominus et beata Virgo, in memo- « ria habetur Deus et beata Virgo, et tamen lignum « et pictura est, sic servus Dei est quaedam pictura, « videlicet creatura Dei, in qua Deus honoratur pro- « pter beneficium suum, sed ipse nihil attribuere « sibi debet, tanquam lignum vel pictura, sed soli « Deo honor et gloria reddenda est et sibi vere- « cundia et tribulatio, dum vivit, quia semper, dum « vivit, caro est contraria beneficiis Dei [1] ».

14. Item fratres suos B. Franciscus humiles esse voluit, quoniam ad consequendam et conservandam majorem humilitatem, paucis annis elapsis post conversionem suam in quodam capitulo apud sanctam Mariam de Portiuncula resignavit officium praelationis coram omnibus fratribus dicens: « Amodo « sum mortuus vobis; sed ecce frater Petrus Catha- « nii, cui ego et vos omnes obedianus ». Tunc fratres omnes coeperunt alta voce plorare et fortiter lacrimari. Et inclinans se B. Franciscus coram fratre Petro promisit obedientiam et reverentiam ei; et exinde usque ad mortem suam permansit subditus, quasi unus de aliis fratribus [2].

---

[1] Conf. Spec. cap. 45.

[2] Conf. Spec. cap. 39.

15. Immo non solum Generali Ministro et provincialibus subditus esse voluit, quoniam, in quacunque provincia morabatur vel iret ad praedicandum, obediebat ministro illius provinciae, sed etiam propter majorem perfectionem et humilitatem longo tempore ante mortem suam quadam vice dixit Generali Ministro: « Volo, ut committas vicem tuam « de me semper uni de sociis meis; cui obediam « vice tua; quoniam propter bonum exemplum et « virtutem obedientiae in vita et in morte semper « volo, quod maneas mecum ». Et exinde usque ad mortem semper habuit unum de sociis guardianum, cui obediebat vice Ministri Generalis. Immo quadam vice dixit sociis: « Hanc gratiam inter alias contu- « lit ipse Altissimus, quod ita diligenter obedirem « fratri novitio, qui intraret hodie religionem, si es- « set meus guardianus, sicut illi, qui esset primus « et antiquus in vita et religione fratrum. Subditus « enim suum praelatum non hominem, sed Deum « considerare debet, pro cujus amore sibi subditus « est ». Similiter dixit: « Non est aliquis praelatus « in toto mundo, qui tantum timeatur a subditis et « fratribus suis, quantum Dominus faceret me timeri « a fratribus meis, si vellem; sed hanc gratiam con- « tulit mihi ipse Altissimus, quod volo esse conten- « tus omnibus, sicut qui [1] minor est in religione ». Hoc vidimus oculis nostris multoties nos, qui fuimus cum illo, sicus sanctus pater attestabatur, quod mul-

[1] In codice deest « qui ».

toties, cum aliqui fratres non satisfacerent ei in suis necessitatibus vel dicerent ei aliquod verbum, per quod solet homo moveri ad scandalum, statim ibat ad orationem et in reversione sua nolebat recordari dicens: « Talis frater non mihi satisfecit », vel: « Dixit mihi tale verbum [1] ».

16. Immo quodam tempore suae infirmitatis propter majorem perfectionem et paupertatem omnes suos socios resignavit Ministro Generali dicens: « Nolo « habere specialem socium, sed propter amorem Do- « mini Dei fratres de loco ad locum mihi provi- « deant et me associent, sicut Dominus inspiraverit « eis »; et ait: « Vidi jam caecum, qui non habe- « bat nisi caniculam pro duce itineris sui [2] ». Unde quanto magis morti appropinquabat, tanto magis erat sollicitus in omni perfectione considerare, quomodo in omni humilitate et paupertate vivere et mori posset.

17. In die, qua domina Jacoba paravit illam comestionem beato Francisco, recordatus est Pater fratris Bernardi, dicens sociis suis: « Haec comestio « est bona pro fratre Bernardo ». Et vocans ad se unum de sociis suis dixit ei: « Vade, dicas fratri « Bernardo, quod statim veniat ad me ». Ivit statim frater ille Assisium, ubi erat frater Bernardus, et

[1] Conf. Spec. cap. 46.
[2] Conf. Spec. cap. 40.

duxit ipsum ad B. Franciscum. Et sedens coram lecto, ubi jacebat B. Franciscus, dixit B. frater Bernardus: « Pater! rogo, ut mihi benedicas et ostendas « mihi dilectionem, quoniam, si paternali affectione « in me ostendis dilectionem, credo, quod ipse Deus « et ceteri fratres de religione amplius me ama- « bunt ». B. Franciscus non poterat ipsum videre, quoniam per multos dies lumen amiserat oculorum; sed extendens posuit dextram super caput fratris Aegidii, qui fuit tertius primorum fratrum et sedebat tunc juxta fratrem Bernardum, credens ipsam ponere super caput fratris Bernardi et tangens caput fratris Aegidii, sicut homo caecutiens, statim cognovit per Spiritum sanctum dicens: « Hoc non est caput fratris mei Bernardi ». Frater Bernardus appropinquavit statim se magis ipsi. Beatus Franciscus ponens manum suam super caput ipsius benedixit ipsum. Insuper dixit uni de sociis suis beatus Franciscus: « Scribe, sicut dico tibi »: « Pri- « mus frater, quem dedit mihi Dominus, fuit frater « Bernardus, qui primo incepit et complevit perfe- « ctissime perfectionem sancti evangelii distribuendo « pauperibus bona sua omnia; propter quod et mul- « tas alias praerogativas teneor ipsum magis dili- « gere, quam aliquem fratrem totius religionis. Unde « volo et praecipio, sicut possum, quod, quicunque « fuerit Generalis Minister, ipsum diligat et honoret « tanquam meipsum, et etiam alii ministri provin- « ciales et fratres totius religionis ipsum teneant vice « mea ». Et plurimum inde consolatus est frater Bernardus et alii fratres videntes hoc.

Alio quodam tempore considerans B. Franciscus nimiam perfectionem fratris Bernardi prophetavit de ipso coram quibusdam fratribus dicens: « Dico vo-« bis, quod dati sunt fratri Bernardo ad exercitium « quidam de magnis et subtilissimis daemonibus, « qui multas tribulationes et tentationes immittent « in eum, sed misericors Dominus prope finem suum « subtollet ipsum de omni tribulatione et tentatione « interiori et exteriori et ponet spiritum ejus et « corpus in tanta pace et quiete et consolatione, « quod universi fratres, qui viderint et audierint, « plurimum inde admirabuntur et pro magno mi-« raculo habebunt; et in illa pace, quiete et conso-« tione utriusque hominis transibit ad Dominum de « hoc saeculo ». Et plurimum inde admirati sunt fratres, qui hoc a B. Francisco audierunt, quoniam ad litteram de puncto ad punctum verum fuit, quod de ipso praedixerat per Spiritum sanctum.

Nam frater Bernardus in aegritudine mortis in tanta pace et quiete spiritus erat, quod jacere nolebat; et, si jacebat, quasi sedendo jacebat, ne etiam levissima fumositas humorum ascendens ad caput ejus induceret imaginationem et somnium aliud praeter pertinens ad id, quod cogitabat de Deo; et si aliquando hoc fieret, statim surgebat et concutiebat se dicens: « Quid hoc fuit? Quare sic cogitavi »? Immo cum libenter ponerent aquam roseam pro confortatione ad nares, cum magis appropinquaret morti, nolebat eam suis naribus applicari propter continuam Domini meditationem. Unde dicebat offerenti: « Noli me impedire »! Et adhuc, ut magis

libere et pacifice et quiete spiritus mori posset, expropriavit [1] se de corporis officiis in manibus cujusdam fratris, qui erat medicus et juvabat eum, dicens illi: « Nullam mihi volo jam esse curam « comedendi vel bibendi, sed tibi committo; si de- « deris, accipiam; si non, non ». Postulavit sibi unctionem sanctam dari, et cum fratres parati venissent et coepissent velle ungere, statim fractum est vas, ubi erat oleum sanctum; tunc frater Peregrinus de Marchia, spiritualis et sanctus homo, qui erat tunc socius ejus, dixit ridendo submissa voce: « Ecce, alabastrum unguenti jam fractum est; jam gratiae copiosae descendent et spargentur ». Et in unctione media non potuit se frater Bernardus continere, sed abundanter lacrimatus est, qui ante exstiterat multum occultus. Fecit demum advenire fratres et se projecit in terram genibus provolutus et dixit de omnibus offensis suam culpam, dicendo: « Non fui frater minor, nisi in tentationibus; in ipsis adjuvit me Dominus [2] ».

Rogabat et fratres, ut devote orarent pro eo; « sed magis hoc oro, ut me considerantes vos consideretis ». Feria sexta allatum fuit canistrum cerasorum, et dixit fratribus suis, qui erant secum, et fratri medico: « Date mihi de cerasis et conce- « dite, ut comedam ex eis, quoniam amplius non

---

[1] Cod.: « expropinquavit »; Anal. Franc. t. III. pag. 44: « expoliavit ».

[2] In codice haec verba corrupta videntur; conf. Analect. Franc. t. III. pag. 45 lin. 7.

« comedam. Rogo etiam, comedite mecum et facite « mecum pascha ». Et comedens non poterat se a lacrimis continere. Unde coeperunt dicere fratres: « Vere non fuit cognitus sanctus iste » ! Lacrimabantur fratres et prae gaudio intuebantur ipsum tanquam sanctum Domini.

Ex quo autem coepit infirmari, voluit semper habere juxta se fratrem sacerdotem usque in horam mortis. Et quando occurreret illi aliquid in mente vel recordaretur de aliquo, unde reprehenderet eum conscientia, statim confitebatur ei et dicebat inde culpam suam.

Post mortem factus est alba et mollis caro sua et quasi ridere videbatur. Unde pulchrior post mortem, quam ante videbatur; et qui intuebantur ipsum delectabantur ipsum magis respicere libenter, quam dum viveret, quoniam videbatur tanquam sanctus, qui rideret [1].

18. In illa hebdomada, qua migravit beatus Franciscus, domina Clara, ordinis sororum prima plantula, abbatissa sororum pauperum monasterii sancti Damiani de Assisio, aemulatrix beati Francisci in conservanda semper paupertate filii Dei, cum esset tunc valde infirma et timeret mori ante beatum Franciscum, plorabat amaro animo et consolari non poterat, quod ante obitum suum videre non poterat unicum patrem suum post Deum, videlicet beatum Franciscum, consolatorem utriusque hominis ac etiam

[1] Conf. Spec. cap. 107, ubi plura tamen omittuntur.

primum fundatorem suum in gratia Domini ab ipso glorioso Domino sibi collata ante ejus conversionem et in ejus sancta conversatione.

Et ideo per quendam fratrem beato Francisco hoc significavit. B. Franciscus hoc audiens, cum diligeret eam ac ejus sorores paternali affectione propter sanctam earum conversationem, motus est ad pietatem, maxime quia post paucos annos, ex quo coepit habere fratres, Domino cooperante suis monitis conversa fuit ad Dominum; de cujus conversione non solum religioni fratrum aedificatio maxima fuit, sed etiam universali ecclesiae Dei.

Sed considerans beatus Franciscus, quoniam, quae desiderabat domina Clara, videlicet ipsum videre, tunc fieri non posset, quia uterque infirmabatur graviter, ad consolandum ipsam scripsit ei per litteram suam *benedictionem et absolvit eam ab omni defectu* in[1] ejus mandatis et voluntatibus ac etiam mandatis et voluntatibus filii Dei. Insuper ut deponeret omnem tristitiam et consolaretur in Domino, non ipse, sed Spiritus Domini locutus est in eo haec verba dicens eidem fratri, quem miserat domina Clara: « Vade et porta hanc litteram domi-
« nae et dicas ei, quod deponat omnem dolorem et
« tristitiam, quod modo me videre non potest; sed
« in veritate sciat, quod ante obitum suum tam ipsa,
« quam ejus sorores me videbunt et maximam con-
« solationem de me habebunt ». Factum est autem,

---

[1] In codice desunt verba « benedictionem » usque « ejus mandatis »; conf. Spec. pag. 215 lin. 14.

ut, cum paulo post migrasset de nocte beatus Franciscus, mane facto universus populus civitatis Assisii virorum ac mulierum cum universo clero tollens sanctum corpus de loco, ubi obierat, cum hymnis et laudibus et accipientes singuli ramos arborum de voluntate Domini portarent illud ad sanctum Damianum, ut impleretur sermo, quem Dominus locutus est in sancto suo ad consolandum filias et ancillas suas. Et remota crate ferrea de fenestra, per quam Christi ancillae communicare solent et aliquando audire verbum Domini, tulerunt fratres sanctum corpus de feretro et tenuerunt ipsum inter brachia ad fenestram per magnam horam, donec domina Clara ac ejus sorores haberent de ipso magnam consolationem, licet lacrimis multis et afflictae doloribus, quoniam post Deum erat unica consolatio earum in hoc saeculo [1].

19. Sero diei sabbati post vesperas ante noctem, qua migravit ad Dominum B. Franciscus, multae aves, quae dicuntur laudae, super tectum domus, in qua jacebat B. Franciscus, non multum altae volabant et faciebant rotam in modum circuli cantando. Nos vero, qui fuimus cum beato Francisco et de ipso hoc scripsimus, testimonium perhibemus, quod multoties audivimus ipsum dicentem : « Si locutus « fuero imperatori, supplicabo ei, ut amore Dei et mei « faciat constitutum et scriptum, ut nullus homo ca- « piat sorores laudas vel faciat ipsis quidquam mali.

[1] Conf. Spec. cap. 108.

« Similiter quod omnes domini civitatum et castrorum « et villarum teneantur quolibet anno in Nativitate « Domini compellere homines ad projiciendum de fru- « mento et aliis granis per vias extra civitates et ca- « stella, ut habeant ad comedendum maxime sorores « laudae et aliae aves in die tantae solemnitatis; et « quod ob reverentiam filii Dei, quem in praesepio « reclinavit beata Virgo mater ejus, tali nocte omnis « homo in ipsa nocte satis debeat dare de annona fra- « tribus bobus et asinis; similiter, quod in Nativitate « Domini omnes pauperes a divitibus debeant satiari ».

Nam beatus Franciscus majorem reverentiam habebat in Nativitate Domini, quam in ulla alia solemnitate Domini, quoniam, licet in aliis ejus solemnitatibus Dominus salutem nostram operaretur, tamen ex quo natus fuit nobis, ut dicebat beatus Franciscus, oportuit nos salvari. Propterea volebat beatus Franciscus, ut tali die omnis christianus in Domino exultaret et pro ejus amore, quo semetipsum dedit nobis, omnis homo non tantum pauperibus cum hilaritate esset largus, sed etiam animalibus et avibus.

Dicebat beatus Franciscus de lauda: « Soror « lauda habet caputium sicut religiosi, et est hu- « milis avis, quia vadit libenter per viam ad inve- « niendum sibi aliqua frumenta, et, si invenerit ea « inter stercora animalium, extrahit tamen ea sibi « et comedit. Volando laudat Dominum, sicut boni « religiosi despicientes terrena, quorum semper in « coelis est conversatio. Propterea ejus vestimentum « terrae assimilatur, videlicet pennae ejus, exem- « plum praebens religiosis, ut non colorata et deli-

« cata vestimenta habere debeant, sed quasi mor-
« tua ad modum terrae ». Et propterea, quia beatus Franciscus in sororibus laudis considerabat haec praedicta, multum diligebat eas et libenter videbat [1].

20. Cum beatus Franciscus ad preces domini Leonis cardinalis invitatus, quod maneret aliquamdiu cum eo in urbe, maxime quia tunc hiems erat, consensit [2], prima nocte verberaverunt eum daemones; et vocans socium dixit illi: « Quare verbera-
« verunt me daemones, et data est illis potestas a
« Domino ad mala faciendum mihi »? Et coepit dicere: « Daemones sunt castaldi Domini nostri; sicut
« potestas, cum aliquis offendit, mittit castaldum
« suum ad puniendum ipsum, sic Dominus, quos
« diligit, per castaldos suos, videlicet per daemones,
« qui in hoc ministerio sunt ejus ministri, corripit
« et castigat. Multoties enim ignoranter peccat etiam
« perfectus religiosus, unde, cum non cognoscit pec-
« catum suum, castigatur a diabolo, ut videat et
« consideret propter illam castigationem diligenter
« interius et exterius ea, in quibus offendit; quia
« quos tenere diligit Dominus, in praesenti vita ni-
« hil in ipsis relinquit inultum.

« Ego vero per gratiam et misericordiam Do-
« mini non cognosco me in aliquo offendisse, quin
« per confessionem et satisfactionem non emendave-
« rim. Immo etiam per misericordiam suam hoc

---

[1] Conf. Spec. cap. 113, 114.

[2] Codex: « consensum ».

« donum contulit mihi, ut de omnibus, in quibus « sibi debeam placere et displicere, in oratione mihi « cognitionem tribuat. Sed potest esse, ut mihi vi- « detur, quod ideo Dominus per castaldos suos me « castigaverit, quia, licet dominus cardinalis liben- « ter mihi faciat misericordiam, et corpori meo sit « necesse recipere et confidenter ab eo recipere va- « leam, tamen fratres mei, qui vadunt per mundum « sustinendo famem et multam tribulationem, et alii « fratres, qui manent in pauperibus locis, cum au- « dierint, quod maneo apud dominum cardinalem, « occasionem murmurandi adversum me habere po- « terunt dicentes: , Nos sustinemus tot necessitates, , et ipse habet consolationes suas '. Unde semper te- « neor, illis dare bonum exemplum, maxime quia « in hoc sum datus illis. Nam magis aedificat fra- « tres, cum maneo in pauperculis locis inter ipsos, « quam in aliis locis; et cum majori patientia suas « tribulationes et necessitates fratres portant, cum « audiunt et sciunt me idem supportare ».

Et licet infirmus semper fuisset B. Franciscus, quoniam in saeculo fuit fragilis et debilis homo secundum naturam et quotidie usque ad diem mortis suae esset infirmior, tamen considerabat, ut fratribus exhiberet bonum exemplum et ut occasionem murmurandi de se semper tolleret eis; videlicet ut non possent dicere fratres: « Ipse habet necessitates suas, et nos non habemus ». Quare in sanitate ejus et infirmitate usque ad diem mortis ejus *tot et tanta passus est, quod, quicunque fratres scirent sicut nos, qui* cum ipso fuimus, et vellent reducere ad

memoriam, non possent se a lacrimis continere et, cum paterentur aliquas necessitates et tribulationes cum majori patientia ipsas supportarent. Et veniens ad cardinalem narravit ei, quae sibi acciderant et quae socio dixerat, et dixit ei: « Homines magnam « fidem habent in me et credunt me sanctum ho- « minem, et ecce ista nocte daemones expulerunt « me de carcere ». Hoc dicebat de turri, quae erat in muro urbis, in qua remote tanquam in carcere manere solebat; et licentiatus a cardinale reversus est ad eremitorium S. Francisci de Fonte Columbarum juxta Reate [1].

21. Dicebat B. Franciscus: « Si scirent fratres, « quot tribulationes faciunt mihi daemones, nullus « esset illorum, quin pietatem magnam haberet de me « et compassionem ». Ed ideo, sicut multoties dixit sociis suis, non poterat de se satisfacere fratribus et ostendere illis aliquando familiaritatem, sicut fratres desiderabant [2].

Postquam exivit de saeculo beatus Franciscus, noluit jacere in culcitra, nec ad caput habere pulvinar de penna occasione infirmitatis vel aliqua occasione, nisi semel, quando erat infirmus in oculis et fratres coegerunt eum ultra voluntatem suam, ut teneret ad caput quoddam pulvinar plenum pluma, quod acquisiverat dominus Joannes de Greccio, quem sanctus diligebat magno affectu. In qua nocte non

---

[1] Conf. Spec. cap. 67; verba « tot-qui » desunt in codice.

[2] Conf. Spec. cap. 99 (pag. 195 lin. 2).

potuit dormire sanctus, quia diabolus intraverat in illud pulvinar, nec erectus stare ad orationem. Quod postquam cognovit Sanctus, ejecit illud et dixit ad socium suum : « Nimis et astutus et subtilis diabo-« lus, quoniam, ex quo per misericordiam Dei et ejus « gratiam non potest mihi nocere in anima, vult im-« pedire necessitatem corporis, videlicet ut non possim « dormire, nec stare erectus ad orationem ad impe-« diendam devotionem et laetitiam cordis, et ut mur-« murem de infirmitate » [1].

22. Nam licet per multos annos haberet infirmitatem maximam stomachi, splenis et hepatis et infirmitatem oculorum, in tantum erat devotus et tanta reverentia orabat, quod tempore orationis nolebat adhaerere muro vel parieti, sed stabat semper erectus et sine caputio in capite et aliquando super genua, maxime cum pro majori parte diei et noctis orationi vacaret; immo, quando ibat per mundum praedicando pedes, semper figebat gradum ad dicendum horas suas; si vero equitabat, quia semper erat infirmitius, ipse descendebat ad dicendum horas suas.

Unde quodam tempore, cum reverteretur ab urbe, illo die, quo exivit ab urbe, per totam diem pluit, et, quia tunc erat valde infirmitius, equitabat, sed ad dicendum horas suas descendit de equo stans juxta viam, licet plueret et esset totus balneatus. Et ait: « Si cum pace et quiete vult comedere corpus « cibum suum, qui cum corpore pariter fit esca ver-

[1] Conf. Spec. cap. 98.

« mium, cum quanta pace et quiete deberet anima » comedere cibum suum, qui est ipse Deus [1] » ? Et dicebat : « Tunc exultat diabolus, cum devotionem « et laetitiam cordis servi Dei, quae provenit ex « munda oratione et aliis bonis operibus, exstin- « guere vel impedire potest. Nam si diabolus aliquid « de suo in servo Dei habere potest, nisi servus Dei « fuerit sapiens et si, quam citius poterit, illud non « deleat vel destruat contritione, confessione et ope- « ris satisfactione, in brevi tempore de uno capillo « facit trabem unam semper ibi adjiciendo [2] ».

23. Dicebat B. Franciscus, quod, si propter inopiam et paupertatem frater corpus suas necessitates in infirmitate et sanitate habere non potest, dum honeste et cum humilitate fratri suo vel suo praelato petierit amore Dei et sibi non datur, patienter sustineat amore Domini; et sibi a Domino pro martyrio imputatur, quoniam fecit, quod suum est; videlicet quia petiit suam necessitatem, excusatur a peccato, etsi corpus magis inde infirmaretur, videlicet de vigiliis et oratione et aliis bonis operibus [3].

In hoc summum studium et praecipuum habuit B. Franciscus, licet a principio suae conversionis usque ad diem suae mortis valde afflixerit corpus suum, videlicet quod semper fuit sollicitus interius et exterius habere et conservare laetitiam

---

[1] Conf. Spec. cap. 94.

[2] Conf. Spec. cap. 95.

[3] Conf. Spec. cap. 97 (pag. 191 lin. 18).

spiritualem. Immo dicebat, quod, si servus Dei studuerit semper habere et conservare laetitiam interius et exterius, quae provenit ex munditia cordis, daemones omnes sibi nihil nocere possunt dicentes, quoniam, ex quo in tribulatione et prosperitate laetitiam habet servus Dei, aditum intrandi ad ipsum non valemus invenire, nec sibi nocere [1].

Et dicebat etiam: « Si essem quandoque tentatus et acidiosus, cum considero laetitiam socii mei, « occasione illius laetitiae de tentatione et acidia revertor ad laetitiam interiorem et exteriorem [2] ».

24. Dicebat beatus Franciscus: « Fratres mei! « ideo dico vobis, quod unusquisque consideret naturam suam, quia, licet aliquis ex nobis sustentari « valeat pauciori cibo, quam alius, volo tamen, quod « abundantiori cibo indigens illum in hoc imitari « non nitatur, sed naturam suam considerans exhibeat corpori suo necessitatem suam. Sicut enim a « superfluitate comestionis, quae obest corpori et « animae, tenemur nobis cavere, ita a nimia abstinentia; immo magis, quoniam Dominus misericordiam vult et non sacrificium [3] ».

Et ait: « Volo et praecipio vobis, ut quilibet secundum nostram paupertatem suo corpori satisfaciat, sicut ei necesse fuerit ». Nam primi fratres et alii, qui venerunt post ipsos usque ad longum tem-

---

[1] Conf. Spec. cap. 97 (pag. 191 lin. 3).
[2] Conf. Spec. cap. 96 (pag. 188 lin. 14).
[3] Conf. Spec. cap. 27 (pag. 55 lin. 7).

pus, affligebant corpora sua ultra modum abstinentia non solum cibi, sed etiam potus, et vigiliis, frigore, labore manuum suarum ; portabant subtus ad carnem circulos ferreos et loricam, qui poterant habere, et fortissima cilicia, sicut magis poterant habere. Propterea sanctus pater considerans, quod fratres hac occasione poterant infirmari, et quidam in parvo tempore jam erant infirmati, prohibuit in quodam capitulo, quod nullus frater portaret subtus ad carnem, nisi tunicam.

Nos vero, qui cum ipso fuimus, testimonium perhibemus de illo, quod, licet a tempore, quo coepit habere fratres, et etiam toto tempore vitae suae fratribus esset discretus, ita dumtaxat, ut fratres in cibis et rebus non deviarent aliquo tempore a modo paupertatis et honestatis nostrae religionis, quibus fratres antiqui utebantur, ipse tamen sanctus corpori etiam, antequam habuit fratres, a principio suae conversionis et toto tempore vitae suae fuit austerus, cum a tempore suae juventutis esset homo fragilis et debilis secundum naturam et in saeculo non posset vivere, nisi delicate. Unde quodam tempore considerans, quod fratres jam excederent modum paupertatis et honestatis in cibis et rebus, in quadam sua praedicatione, quam fecerat, quibusdam fratribus in persona omnium fratrum dixit : « Non putant fra-« tres, quod corpori meo necessaria essent pitantia ; « sed, quia oportet me esse formam et exemplum « omnium fratrum, volo uti pauperculis cibis et esse « contentus et rebus non delicatis [1] ».

---

[1] Conf. Spec. cap. 27 (pag. 55 lin. 19 sqq).

25. Primo tempore, quia pauci erant fratres, soli ibant pro eleemosyna et, cum redibant, unusquisque ostendebat B. Francisco eleemosynas, quas acquisierat, dicens unus alteri: « Ego majorem eleemosynam te acquisivi » ; et gaudebat inde B. Franciscus, cernens illos ita hilares esse et jucundos; et exinde petebat unusquisque libentius licentiam eundi pro eleemosyna [1]. Eodem tempore, cum esset B. Franciscus cum fratribus suis, quos tunc habebat, tantae puritatis erat, quod ab illa hora, qua ei Dominus revelavit, ut deberet vivere ipse et fratres sui secundum formam sancti evangelii, ad litteram voluit illud et studuit observare toto tempore vitae suae; unde prohibuit fratri, qui faciebat fratribus coquinam, ut, cum vellet dare fratribus legumina ad manducandum, non mitteret in sero in aqua calida, sicut est consuetum, pro alio die, ut observarent fratres illud verbum sancti evangelii: « Nolite solliciti esse de crastino ». Et ita frater ille, postquam fratres dixerant matutinum, mittebat illa ad mollificandum. Quapropter etiam per longum tempus multi fratres in pluribus locis, ubi per se morabantur, et maxime in civitatibus hoc observaverunt nolentes plures eleemosynas acquirere vel accipere, nisi quot sufficerent eis per unum diem [2].

26. Quodam tempore, cum esset B. Franciscus apud Rigum Tortum, quidam frater spiritualis et

---

[1] Conf. Spec. cap. 18 (pag. 37 lin. 19).

[2] Conf. Spec. cap. 19.

antiquus in religione manebat ibi, qui erat valde debilis et infirmitius, super quo pater pietate motus est. Sed quia fratres tunc infirmi et sani et alacritate et patientia et paupertate pro abundantia utebantur et in suis infirmitatibus medicinis non utebantur, sed magis, quae erant contraria corpori, libentius faciebant, dixit ad seipsum B. Franciscus: « Si frater iste summo mane manducaret de uvis, « credo, quod prodesset illi ».

Et ideo surrexit quodam die summo mane secreto et vocavit fratrem illum et duxit illum in vineam, quae erat juxta locum, et elegit quandam vitem, in qua erant bonae et sanae uvae ad manducandum, et sedens cum illo fratre juxta vitem coepit de uvis manducare, ut non verecundaretur frater ille solus comedere; et manducantibus illis laudavit Dominum Deum frater ille. Et illius misericordiae, quam fecit propter eum sanctus pater, toto tempore, dum vixit, cum magna devotione et lacrimarum effusione recordatus est inter fratres [1].

27. Abbas sancti Benedicti de Monte Subasio concessit B. Francisco et fratribus suis ecclesiam sanctae Mariae de Portiuncula pro magis paupere, quam haberet, et voluit, quod, si Dominus augmentaret fratres, esset caput totius religionis, quod et concessit B. Franciscus. Et gavisus est de loco fratribus concesso et quia ita vocabatur, et quia pauperior ecclesia erat de districtu Assisii, et de cogno-

[1] Conf. Spec. cap. 28.

mine ejus; cognominabatur enim Portiuncula a contrata, quae sic antea vocabatur; in quo praefigurabatur, quod futura esset mater et caput pauperum Minorum Fratrum. Nam dicebat B. Franciscus: « Pro« pterea voluit Dominus, ut nulla alia ecclesia fra« tribus concederetur, et quod de novo aliquam ec« clesiam tunc primi fratres non construerent nec « haberent, nisi illam, quoniam illa fuit quaedam « prophetia, quae adimpleta est in adventu Minorum « Fratrum ». Et licet paupercula et quasi jam destructa esset per multum tempus, semper homines civitatis Assisii et illius contratae habuerunt in illa magnam devotionem. Et licet abbas et monachi libere concessissent beato Francisco et ejus fratribus illam ecclesiam sine datione aliqua, tamen B. Franciscus tanquam peritus magister, qui domum suam voluit aedificare super firmam petram, videlicet congregationem suam super magnam paupertatem et humilitatem, annuatim mittebat abbati fiscellam plenam pisciculorum, qui vocantur laschae, ut fratres nullo tempore habeant proprium locum, nec in aliquo permanerent, qui non esset sub dominio aliquorum, ita quod fratres non haberent potestatem vendendi vel alienandi quoquo modo. Et cum fratres portabant monachis pisciculos annuatim, ipsi propter humilitatem B. Francisci, qui ex voluntate sua illud faciebat, dabant sibi et fratribus suis quoddam vas plenum oleo.

Nos vero, qui fuimus cum beato Francisco, testimonium perhibemus, quod ipse cum affirmatione de illa ecclesia dixit, quoniam per multam prae-

rogativam, quam Dominus ipsi ostendit, sibi revelatum fuit quod inter alias omnes ecclesias hujus saeculi, quas beata Virgo diligit, diligit illam ecclesiam. Et circa mortem suam hanc ecclesiam fratribus in testamentum reliquit, ut semper a fratribus haberetur in maxima devotione et reverentia, et voluit, quod esset sub ordinatione Generalis, qui semper ibi familiam sacram poneret, fratres clericos et laicos, qui servirent eis, et voluit, quod specialiter locus ille conservaretur purus et sanctus in hymnis et laudibus Domino; et dicebat, quoniam, si fratres et loca ipsorum, ubi manent, a puritate et honestate, quae convenit, aliquo tempore deviaverint, iste locus, volo, quod sit speculum et bonum exemplum totius religionis et quoddam candelabrum ante thronum Dei et beatae Virginis, propter quod Dominus propitietur defectibus et culpis fratrum et conservet semper et protegat religionem et plantulam suam.

Fratres vero, qui olim ibi morabantur, servabant voluntatem patris; macerabant enim carnem non solum jejuniis, sed et vigiliis multis, frigore et nuditate et labore manuum suarum. Multoties enim, ut non starent otiosi, ibant et juvabant pauperes homines in agris eorum, et ipsi postea dabant aliquando eis de pane amore Dei. Et sic observabant sanctitatem loci cum continua oratione die noctuque et continuo silentio et, si aliquando loquerentur post terminum silentii, cum maxima devotione et honestate, quae ad laudem Dei et animarum salutem pertinebant, tractabant. Et si contingeret raro, ut aliquis aliqua verba inutilia vel otiosa inciperet

loqui, statim ab alio corrigebatur. Et his et aliis virtutibus sanctificabant se ipsos et locum [1].

28. Cum antiquitus in sancta Maria de Portiuncula Generalis incepisset facere aedificari unam parvam domum pro fratribus, qui magnam necessitatem patiebantur propter supervenientes, quibus oportebat, quod cederent, rediens B. Franciscus et audiens laborari in domo, vocavit Ministrum dicens illi: « Frater! iste locus est forma et exemplum to-« tius religionis, unde magis volo, quod fratres istius « loci sustineant tribulationem et necessitatem amore « Dei, ut fratres totius religionis, qui huc veniunt, « reportent bonum exemplum paupertatis in locis « suis, quam, si haberent suas satisfactiones et con-« solationes, et alii fratres de religione sumerent « exemplum aedificandi in locis suis, dicentes: , In , loco sanctae Mariae de Portiuncula, qui est primus , locus fratrum, talia et tanta aedificant aedificia, , unde possumus aedificare in locis nostris [2] ' ».

29. Quidam frater, spiritualis homo, cui nimis erat familiaris B. Franciscus, manebat in quodam eremitorio, et considerans, quod, si aliquando illuc veniret B. Franciscus, non haberet aptum locum ad manendum, fecit fieri in quodam loco remoto prope locum fratrum quandam cellulam, ubi posset orare, dum veniret. Et factum est, non post multos dies

CLERICS LIBRARY

[1] Conf. Spec. cap. 55.

[2] Conf. Spec. cap. 8.

THEOLOGIANS

O. F. M.

PROV. S. BARBARAE

advenit B. Franciscus; cumque duceretur a fratre illo ad videndum eam, dixit ei B. Franciscus: « Nimis mihi pulchra videtur cellula ista; si vis, ut « maneam in ipsa per aliquot dies, facias fieri sibi « quoddam vestimentum interius et exterius de si- « licibus et ramis arborum ». Erat enim cellula illa non murata, sed de lignis facta; sed quia ligna erant plana, facta cum securi et dolabra, videbatur beato Francisco nimis pulchra. Et statim frater ille coepit ipsam aptare, sicut dixerat beatus Franciscus. Nam quanto plus essent pauperculae et religiosae cellulae et domus fratrum, tanto magis libenter eas videbat et aliquando ibi hospitabatur. Immo exemplo Domini nec cellam nec domum voluit habere in hoc saeculo, nec pro se fieri fecit. Immo, si contingeret, quod aliquando diceret fratribus: « Ite, aptate cellam istam », nolebat postea in ea permanere propter illud verbum evangelii: « Nolite solliciti esse » etc [1].

30. Unde quodam tempore, cum esset apud Senas pro infirmitate oculorum et maneret in cella, ubi post mortem ejus oratorium fuit aedificatum pro ipsius reverentia, dixit ad eum dominus Bonaventura, qui terram dederat fratribus, ubi locus fratrum fuit aedificatus: « Quid tibi videtur de loco isto, Francisce » ? Respondit ei beatus Franciscus: « Vis, ut dicam tibi, quomodo loca fratrum debent aedificari » ? Respondit ei: « Pater! volo ». Et ait ei: « Cum fratres vadunt ad aliquam civitatem, ubi lo-

[1] Conf. Spec. cap. 9.

« cum non habent, et inveniunt aliquem, qui vult « dare terram eis, ubi locum aedificare valeant et « habere hortum et, quae necessaria sunt eis, ipsi « primo debent considerare, quanta terra sufficiat « eis, semper considerantes sanctam paupertatem, « quam promisimus, et bonum exemplum, quod te- « nemur aliis in omnibus exhibere ». Hoc autem dicebat sanctus pater, quia nulla occasione volebat, ut fratres in domibus vel ecclesiis vel hortis vel aliis rebus, quibus utebantur, modum excederent paupertatis, et propterea volebat, ut fratres non in multa quantitate per loca collocari deberent, quia sibi difficile videbatur in multa quantitate paupertatem conservari. Et haec fuit voluntas ejus ab initio suae conversionis et ultima in morte ejus, ut sancta paupertas penitus observaretur.

Postea debent ire ad episcopum civitatis et dicere ei : « Domine ! talis homo amore Domini Dei « et salutis animae suae vult nobis dare tantam « terram, ut possimus ibi locum aedificare; unde ad « vos recurrimus primo, maxime, quia estis pater « et dominus animarum totius gregis vobis commissi « et nostrarum et aliorum fratrum, qui permanserint « in loco isto. Volumus ergo cum benedictione Do- « mini Dei et vestra aedificare in ea ».

Hoc autem dicebat sanctus, quoniam semper volebat, quod fratres honorarent et venerarentur praelatos. Nam ideo Fratres Minores vocantur, quia sicut nomine, sic et exemplo et opere ceteris aliis omnibus hujus saeculi debent esse humiliores, et dicebat, quod « ab initio meae conversionis, cum a

« saeculo et a patre carnali me separavi, posuit Do-
« minus in ore episcopi Assisii verbum suum, ut
« mihi bene consuleret in servitio Christi et me con-
« fortaret. Ideo propter hoc et multam excellentiam,
« quam in praelatis considero et clericis, non tan-
« tum episcopos, sed et pauperculos sacerdotes volo
« diligere et venerari et tenere eos pro dominis meis.
« Deinde accepta benedictione a domino episcopo
« vadant et faciant mitti magnam carbonariam in
« circuitu terrae, quam pro loci aedificatione acce-
« perunt, et ponant ibi bonam sepem pro muro in
« signum sanctae paupertatis et humilitatis. Postea
« faciant fieri domos pauperculas ex luto et lignis
« constructas et aliquas cellulas, ut fratres aliquando
« possint orare et pro majori honestate ipsorum et
« cum cautela verborum otiosorum laborare valeant.
« Ecclesias etiam parvas fieri faciant; non enim de-
« bent fratres facere fieri magnas ecclesias occasione
« licet populo praedicandi nec alia occasione, quo-
« niam major humilitas erit et melius exemplum,
« cum fratres vadunt ad alias ecclesias ad praedi-
« candum, ut observent sanctam paupertatem et
« ipsorum humilitatem et honestatem.

« Et si aliquando aliqui praelati et clerici reli-
« giosi seu saeculares ad loca ipsorum diverterint,
« domus pauperculae et cellulae et ecclesiae ipso-
« rum et honestates etiam sine praedicatione fratrum
« existentium in loco illo illis praedicabunt et inde
« aedificabuntur. Et ait: , Multoties enim fratres fa-
, ciunt fieri magna loca et aedificia rumpendo sanctam
, nostram paupertatem et in murmurationem et ma-

, lum exemplum proximi. Et postea occasione me-
, lioris vel sanioris loci dimittunt illa loca et aedificia,
, unde illi, qui dederunt ibi eleemosynas suas, et
, alii, hoc videntes et audientes scandalizantur inde
, plurimum et conturbantur. Quapropter melius est,
, ut fratres parva et paupercula loca et aedificia fieri
, faciant, observando professionem suam, bonum
, exemplum dando proximis, quam si contra profes-
, sionem suam fecerint et malum exemplum aliis
, exhibuerint. Nam si aliquando contingeret, quod
. fratres occasione honestioris loci loca parva et pau-
, percula aedificia dimitterent, nimis malum exem-
, plum esset et scandalum inde [1] ».

In illis autem diebus et in eadem cella, ubi beatus Franciscus haec verba dixerat domino Bonaventurae, propter vomitum sanguinis quasi ad mortem venit quadam nocte. Unde dixerunt sibi fratres timentes, quod moreretur: » Benedic nobis, pater, et « aliis fratribus de ordine et dimitte nobis aliquod « memoriale, ad quod recurramus post mortem « tuam ». Beatus Franciscus fecit vocari fratrem Benedictum de Prato, qui celebrabat ei, quoniam, licet esset infirmus, semper cum poterat, libenter audire missam volebat, et dixit illi: « Scribe, qualiter be- « nedico cunctis fratribus meis, qui sunt in religione, « et qui venturi erunt usque in finem saeculi ».

Et ait ei beatus Franciscus: » Quoniam propter « infirmitatem loqui non valeo, breviter in his tri- « bus verbis patefacio fratribus meis voluntatem

[1] Conf. Spec. cap. 10.

« meam, videlicet: ut in signum memoriae meae be-
« nedictionis et testamenti [1] diligant se ad invicem,
« semper diligant et observent dominam nostram
« paupertatem sanctam, et ut semper praelatis et
« omnibus clericis sanctae matris ecclesiae fideles et
« subjecti existant [2] ».

31. Cum maneret beatus Franciscus apud sanctam Mariam de Portiuncula, ibat quandoque per villas et ecclesias in circuitu civitatis Assisii annuntiando et praedicando hominibus, ut facerent poenitentiam. Et portabat scopam ad scopandas ecclesias. Nam multum dolebat beatus Franciscus, cum intraret aliquam ecclesiam et videret ipsam non mundatam, et propterea semper, quando praedicabat populo, finita praedicatione faciebat congregari omnes sacerdotes, qui aderant ibi, in aliquo remoto loco, ut a saecularibus non audirentur, et praedicabat eis de salute animarum et maxime, ut curam et sollicitudinem haberent conservandi mundas ecclesias et altaria et omnia, quae pertinent ad celebranda divina mysteria [3].

Cum quodam die beatus Franciscus scoparetur quandam ecclesiam cujusdam villae, statim rumor de ipso factus est in illa villa, maxime quia libenter ab hominibus audiebatur et videbatur. Ut autem audivit quidam, Joannes nomine, vir mirae

[1] In cod.: « mysterii ».
[2] Conf. Spec. cap. 87 (ubi « *Benedictus de Pirato* »).
[3] Conf. Spec. cap. 56.

simplicitatis, qui arabat in quodam suo agro prope ecclesiam illam, statim ivit ad ipsum, inveniens illum scopantem ecclesiam; et dixit ad eum: « Frater! da mihi scopam, quia volo te adjuvare »; et accipiens scopam ab ipso scopavit residuum. Et sedentibus illis dixit ille ad beatum Franciscum: « Frater! jam « diu est, quod habui voluntatem serviendi Domino, « et maxime postquam de te et de tuis fratribus « rumorem audivi; sed nesciebam, qualiter ad te « venirem. Sed postquam Domino placuit, ut te vi- « derem, volo facere, quidquid tibi placuerit ».

Beatus Franciscus considerans ejus fervorem exultavit in Domino maxime, quia tunc paucos habebat fratres, et quia sibi videbatur propter ejus puram simplicitatem, quod deberet esse bonus religiosus, quare dixit ei: « Frater! si vis esse de socie- « tate nostra, oportet, quod expropries te de omnibus « tuis, quae sine scandalo potes, et des ea pauperibus « secundum consilium sancti evangelii, quia illud « idem fratres nostri, qui potuerunt, fecerunt ». Quo audito statim ivit in agrum, ubi dimiserat boves, et solvit illos et duxit unum coram beato Francisco et dixit ad eum: « Frater! tot annos servivi patri « meo et omnibus de domo mea; licet parva sit « portio haereditatis meae, volo istum bovem acci- « pere pro portione mea et dare illum pauperibus, « sicut tibi melius videbitur secundum Deum ».

Videntes autem parentes et ejus fratres, qui adhuc erant parvi, quod volebat eos dimittere, coeperunt ipsi et omnes de domo tam fortiter lacrimari, quod motus est inde ad pietatem beatus Fran-

ciscus, et ait ad illos: « Parate comestionem, ut in-
« simul comedamus, et nolite plangere, quoniam
« laetos vos faciam ». Illi autem statim paraverunt,
et comederunt omnes cum laetitia. Post comestio-
nem dixit ad eos sanctus: « Iste filius vester vult
« servire Deo, de quo debetis gaudere, et non so-
« lum secundum Deum, verum etiam secundum sae-
« culum illud imputare vobis in honorem et pro-
« fectum animarum et corporum, quia de carne ve-
« stra honoratur Deus, et omnes fratres nostri erunt
« vestri filii et fratres. Et quia creatura Dei est et
« summo Creatori vult servire, cui servire est re-
« gnare, non possum nec debeo ipsum reddere vobis,
« sed, ut de ipso habeatis consolationem, volo, quod
« ipse expropriet se vobis de isto bove tanquam
« pauperibus, licet pauperibus aliis deberet dari se-
« cundum consilium sancti evangelii ». Et consolati
sunt et de verbis et de bove, quia pauperes erant.

Et quia beatus Franciscus nimis diligebat puram et sanctam simplicitatem semper in se et in aliis, statim postquam induit eum panno religionis, ducebat illum pro socio suo. Erat enim ille tantae simplicitatis, quod ad omnia, quae faciebat beatus Franciscus, credebat se teneri. Unde, cum beatus Franciscus staret in aliquo loco in oratione, ipse volebat ipsum respicere, ut ejus se gestibus omnibus conformaret. Unde, si beatus Franciscus flecteret genua aut jungeret manus ad coelum aut spueret vel tussiret, et ipse similiter faciebat. Et coepit ipsum B. Franciscus cum multa laetitia de hujusmodi simplicitatibus redarguere; qui respondit ei: « Frater! ego

« promisi facere omnia, quae tu facis; unde volo « facere, quod tu facis ». Et mirabatur inde et delectabatur B. Franciscus videns ipsum in tanta simplicitate et puritate. Nam tantum coepit in omnibus virtutibus et moribus perfectus esse, quod B. Franciscus et alii fratres mirabantur plurimum de ejus perfectione, in qua et mortuus est, unde eum post mortem S. Franciscus sanctum Joannem appellabat narrans inter fratres ejus conversationem [1].

32. Frater Jacobus simplex, cui Sanctus leprosos valde plagatos plurimum recommendaverat, quia erat quasi medicus eorum tangendo et mutando et curando eorum vulnera, — nam illis temporibus manebant fratres in domibus leprosorum sive hospitalibus, — duxit quendam leprosum ulceratum valde ad sanctam Mariam de Portiuncula, cui dixit B. Franciscus quasi ipsum redarguendo: « Tu non deberes « ita ducere fratres christianos, quia non est hone« stum nec pro te, nec pro ipsis » ; beatus Franciscus vocabat leprosos fratres christianos. Hoc autem dixit sanctus Pater, quia, licet placeret sibi, ut ipsos juvaret et eis serviret, nolebat tamen, ut duceret illos, qui erant valde plagati, extra hospitale, quia homines abhorrebant tales. Et his dictis B. Franciscus statim reprehendit se et dixit inde suam culpam fratri Petro Catanii, qui tunc erat ibi, maxime quia credidit beatus Franciscus de reprehensione fratris Jacobi leprosum verecundari. Et propter hoc

[1] Conf. Spec. cap. 57.

dixit inde suam culpam, ut Domino et leproso satisfaceret. Et ait beatus Franciscus fratri Petro: « Poe- « nitentiam, quam volo inde facere, dico tibi, ut mihi « confirmes et penitus mihi non contradicas ».

Dixit ad eum frater Petrus: « Fiat, sicut tibi placuerit ». Nam frater Petrus tantum venerabatur et timebat beatum Franciscum et tantum erat ei obediens, quod non praesumebat mutare obedientiam ejus. Dixit B. Franciscus: « Haec sit poenitentia mea, « scilicet ut comedam simul in una paropside cum « fratre christiano ». Et factum est, dum sederet B. Franciscus ad mensam cum leproso et aliis fratribus, apposita est scutella inter ambos. Leprosus autem erat totus ulceribus vulneratus et maxime digitos, cum quibus comedebat, habebat contractos et sanguinolentos ita, ut semper, dum mitteret eos in scutellam, defflueret in ea sanguis. Videns autem hoc frater Petrus et alii fratres contristati sunt valde, sed nihil audebant dicere propter timorem sancti Patris. Qui scripsit hoc, vidit et testimonium perhibuit [1].

33. Cum beatus Franciscus solus remansisset quadam nocte ad orandum in ecclesia sancti Petri de Bovaria prope hospitale leprosorum de Trebio et sensisset illusionem diabolicam, surrexit et signans se dixit: « Ex parte Dei omnipotentis dico vobis, « daemones, ut, quidquid dictum fuerit vobis a Deo, « exerceatis in corpore [1] meo ». Et in ecclesia vidit

[1] Conf. Spec. cap. 58.

[1] Cod.: « corde »; Spec.: « circa corpus meum » pag. 109 lin. 11.

frater Pacificus socius ejus illam sedem, quae fuit Luciferi, ut fuit ei responsum, reservari beato Francisco [1].

34. Quadam nocte beatus Franciscus tantum fuit doloribus infirmitatis praegravatus, quod fere in illa nocte quiescere nec potuit nec dormire. Mane cessante aliquantulum dolore fecit vocari omnes fratres praesentes, et illis sedentibus coram ipso consideravit et prospexit eos in personis omnium fratrum. Et incipiens ab uno fratre benedixit eos omnes imponens dextram manum in capitibus singulorum, benedixitque omnes fratres, qui erant in religione, et qui venturi erant usque in finem saeculi; et videbatur compati sibi ipsi eo, quod non poterat videre filios et fratres suos ante mortem suam. Postea jussit apportari coram se panes et benedixit eos et, quia propter infirmitatem frangere non poterat, fecit a quodam fratre in plurimas particulas frangi, et accipiens particulas unicuique fratrum porrexit particulam praecipiens, ut totam manducaret. Nam sicut Dominus feria quinta cum apostolis voluit manducare ante mortem suam, sic quodammodo visum fuit fratribus illis, quod beatus Franciscus ante mortem suam voluit benedicere illis et in eis omnibus aliis fratribus, et quod manducarent illum panem benedictum, quasi quodammodo cum ceteris fratribus suis manducarent. Et hoc manifeste considerare possumus, quia, cum esset alia dies, quam feria

[1] Conf. Spec. cap. 59, 60; ubi fusius res narratur.

quinta, ipse dixit fratribus reservari particulam unam de illo pane. Et post mortem B. Francisci aliqui, qui gustaverunt de eo in suis infirmitatibus, liberati sunt statim [1]. Dicebat beatus Franciscus ad socios, quando sibi statim non obediebant: « Fratres mei! non debetis mihi rem facere ».

35. Cum beatus Franciscus in loco sanctae Mariae ordinasset, quod pro quolibet verbo otioso deberet dici unum ‚Pater noster' laudando Deum in principio et in fine ipsius, voluit, quod, si frater accusatus de hoc excusando se contenderet dicere ‚Pater noster', duo ‚Pater noster' dicere teneretur. Et dictas laudes tam alte dicere tenerentur, quod a fratribus illic manentibus audiri possint et intelligi, qui fratres, dum illi laudarent, auscultare tenerentur; et contrafaciens unum ‚Pater noster' cum laudibus Domini pro anima dicentis dicere teneretur. Ordinavit etiam, quod quilibet frater, cum domum vel cellam vel quemlibet locum ingressus fuerit, ibidem vel alibi fratrem seu fratres inveniens Deum semper laudare ac benedicere debeat diligenter, quas laudes idem sanctissimus Pater solitus erat dicere cum ardentissima voluntate et desiderio. Et fratres alios volebat facere ad dicendum easdem sollicitos et attentos [2].

36. Tantam reverentiam et devotionem beatus Franciscus habebat in corpore Christi, quod voluit

[1] Conf. Spec. cap. 88.

[2] Conf. Spec. cap. 82.

scribi in regula, ut fratres in provinciis, quibus morarentur, curam et sollicitudinem haberent et praedicarent inde populo et admonerent clericos et sacerdotes, ut corpus Christi in loco bono et honesto collocarent; quod si non facerent, fratres illud agerent.

Immo quodam tempore voluit mittere quosdam fratres cum pyxidibus per universas provincias, ut, ubicumque invenirent corpus Christi illicite collocatum, illud honorifice in ipsis collocarent. Similiter voluit mittere cum ferramentis pulchris hostiarum ad faciendum eas omni tempore [1].

37. Cum beatus Franciscus mitteret fratres per provincias ad praedicandum poenitentiam, dixit illis: « In nomine Domini ite bini et bini honeste per viam « et maxime cum silentio a mane usque post ter- « tiam, orantes semper in cordibus vestris Dominum, « et verba otiosa vel inutilia nec nominentur in vo- « bis; licet enim ambuletis, tamen conversatio ve- « stra sic sit honesta quodammodo, quasi si in eremi- « torio aut cella permaneretis, quoniam, ubicunque « sumus et ambulamus, hujusmodi cella nobiscum « est; frater enim corpus est cella nostra, et anima « nostra est eremita, qui moratur intus in cella ad « orandum Deum et meditandum. Unde, si anima « non manserit in quiete et sollicitudine in cella sua, « parum prodest religioso cella manu facta [2] ».

---

[1] Conf. Spec. cap. 65.

[2] Conf. Spec. cap. 65 (pag. 120 lin. 9).

Cum quodam die praedicaret B. Franciscus, dicebat: « Loquor vobis sicut vinctis daemoniorum, « quoniam vosmetipsos ligatis et venditis vos tan- « quam animal ad forum propter miseriam vestram; « quoniam exponitis vos voluntati eorum, qui de- « struxerunt et destruunt se ipsos et totam civi- « tatem destruere volunt ».

Tempore illius capituli, quo primo missi fuerunt fratres ad quasdam provincias ultramontanas, finito capitulo dixit beatus Franciscus: « Carissimi « fratres! me oportet esse formam et exemplum « omnium fratrum. Si ergo misi fratres meos in lon- « ginquas partes ad laborem et verecundiam, ad fa- « mem et alias plures necessitates sustinendas, justum « mihi videtur, ut ego similiter vadam ad aliquam « remotam provinciam, maxime ut fratres tribula- « tiones suas magis patienter supportent, cum au- « dierint, illud idem me supportare ». Et facta oratione, ut moris sui erat in omnibus agendis, dixit: « In nomine Domini et matris suae et omnium san- « ctorum eligo provinciam Franciae, maxime quia « inter catholicos sanctae ecclesiae reverentia magna « exhibetur corpori Christi, quod mihi plurimum « gratum est propter quod libentius cum illis con- « versabor [1] ».

Et accepit inter alios socium fratrem Silvestrum sacerdotem, hominem Dei et magnae fidei et multae simplicitatis et puritatis, quem sanctus Pater venerabatur ut sanctum. Cumque pervenisset Florentiam,

[1] Conf. Spec. cap. 65 (pag. 118 lin. 5).

invenit ibi dominum Ugonem cardinalem, episcopum Ostiensem, qui postea fuit papa, qui gavisus est de Sancto et scire voluit, quo iret; unde dixit ei sanctus Pater: « Domine! magna verecundia est mihi, « cum miserim fratres meos ad remotas partes, per- « manere in istis provinciis ». Dixit autem ad eum dominus episcopus, quasi ipsum redarguendo: « Cur « misisti fratres tuos tam longo ad moriendum fame « et ad tantas alias tribulationes »?

Respondit ei beatus Franciscus cum magno fervore spiritus et spiritu prophetiae: « Domine! puta- « tis vel creditis, quod Dominus solummodo propter « istas provincias miserit fratres? Sed dico vobis in « veritate, quod Dominus elegit et misit fratres pro- « pter profectum et salutem animarum totius mundi; « et non solum recipientur modo in terra fidelium, « sed etiam in terra infidelium. Et dum observent, « quod Domino promiserunt, sic Dominus ministra- « bit eis necessaria in terra infidelium, sicut et in « terra fidelium ». Et admiratus est dominus episcopus in verbis suis affirmans, quod verum diceret. Et ita non dimisit ipsum ire in Franciam dominus episcopus; sed beatus Franciscus misit illuc fratrem Pacificum cum aliis fratribus; et ipse reversus est in vallem Spoletanam [1].

38. Cum instaret semel capitulum fratrum apud sanctam Mariam, dixit beatus Franciscus socio suo: « Non videtur mihi, quod sim frater minor,

[1] Conf. Spec. cap. 65 (pag. 121 lin. 12).

« nisi essem in statu, quem dicam tibi ». Et ait: « Ecce fratres cum devotione et veneratione invitant « me ad capitulum, et motus ex devotione eorum « vado et rogatus praedico illis, sicut docuerit me « Spiritus sanctus. Finita ergo praedicatione ponatur « quod dicant adversum me: ‚Nolumus te regnare ‚super nos, non enim es eloquens, et nimis verecun- ‚damur habere ita simplicem et despectum praela- ‚tum super nos, unde de cetero non praesumas vo- ‚care te nostrum praelatum'; et sic ejiciunt me « vilipendendo. Non ergo videtur mihi, quod sim « frater minor, si eodem modo non gaudeo, cum « me vilipendunt, sicut quando me honorant, eorum « profectu utrobique aequaliter se habente. Nam si « gavisus sum de profectu et devotione ipsorum, « cum honorant me, ubi periculum animae esse po- « test, magis convenit, quod debeam laetari et ju- « cundari de profectu meo et salute animae, cum « vituperant me cum verecundia ejiciendo, ubi lu- « crum est animae et salus[1] ».

39. Cum quadam die sanctus Franciscus rediret ab oratione cum magna laetitia, dixit socio suo: « Me oportet esse formam et exemplum omnium « fratrum, quoniam, licet corpori meo necesse sit « habere tunicam repetiatam, tamen considerare « me oportet fratres meos, quibus istud item ne- « cesse est. Et ipsi forsitan non habent, nec habere « possunt, unde me oportet condescendere eis et

[1] Conf. Spec. cap. 64.

« easdem necessitates, quas ipsi patiuntur, me pati, « ut ipsi hoc videntes magis suas patienter susti- « neant ». Quot enim et quantas necessitates suo corpori denegaverit in victu et vestitu, ut fratribus daret bonum exemplum, et ut majori patientia suas necessitates tolerarent, nos, qui cum ipso fuimus, dicere non possemus. Et in hoc summum et praecipuum studium habuit semper beatus Franciscus, maxime postquam fratres coeperunt multiplicari et ipse dimisit officium praelationis, ut operibus magis quam verbis fratres doceret, quid agerent, quidve deberent vitare [1].

40. Unde quodam tempore considerans et audiens, quod aliqui fratres darent malum exemplum in religione et etiam, quod fratres declinarent a summo apice professionis suae, tactus dolore intrinsecus quadam vice in oratione dixit ad Dominum: « Tibi, Domine, recommendo familiam, quam « dedisti mihi ». Et dictum fuit ei in spiritu a Domino: « Dic mihi, quare contristaris tantum, si aliquis fra- « ter exiit de religione, et cum fratres non ambu- « lant per viam, quam tibi ostendi? Dic mihi, quis « plantavit fratrum religionem? Quis converti facit « hominem ad faciendum poenitentiam in ea? Quis « dat virtutem perseverandi in ea? Nonne ego »? Et dictum fuit ei in spiritu: « Non elegi te pro ho- « mine litterato et eloquente super familiam meam, « sed simplicem te elegi, ut scire valeas tam tu,

[1] Conf. Spec. cap. 16.

« quam alii, quoniam ego vigilabo super gregem « meum, et posui te signaculum ipsis, ut opera, « quae ego operor in te, ipsi in te debeant prospi- « cere et ea operari. Qui ambulant per viam meam, « habent inde et abundantius habebunt; qui vero per « viam meam ambulare noluerint, id quod videntur « habere, auferetur ab eis.

« Quapropter dico tibi, ne tantum contristeris, « sed age, quae agis; operare, quae operaris, quo- « niam in caritate perpetua plantavi fratrum reli- « gionem, unde scias, quod tantum diligo ipsam, « quod, si aliquis frater reversus ad vomitum moria- « tur extra religionem, alium mittam in religionem, « ut vice ejus habeat coronam ejus; et ponatur, « quod non esset natus, faciam ipsum nasci. Et ut « scias, quoniam vitam et religionem fratrum spon- « tanee diligo, ponatur, quod in tota vita et reli- « gione fratrum non manerent nisi tres fratres, in « perpetuum non delebo eam ».

Et plurimum consolatus est beatus Franciscus in his verbis eo, quod ultra modum contristabatur, cum audiebat de fratribus aliquod malum exemplum. Et licet se continere ex toto non posset, quin contristaretur de hoc, postquam fuit tamen a Domino confortatus taliter, revocabat illud ad memoriam et dicebat cum sociis suis.

Unde saepe dicebat fratribus in capitulis et etiam in collatione verborum suorum: « Ego juravi « et statui fratrum regulam observare, et fratres « omnes ad hoc se obligaverunt; quapropter, ex quo « dimisi officium fratrum, de cetero propter infirmi-

« tates meas et pro majori utilitate animae meae et « omnium fratrum non teneor fratribus nisi exhibere « bonum exemplum; nam illud a Domino accepi et « scio in veritate, quoniam, si infirmitas non me « excusaret, majus adjutorium, quod fratrum reli- « gioni impendere possum, est, ut quotidie vacem « orationi pro ea ad Dominum, ut ipsam gubernet, « conservet, protegat et defendat. Nam in hoc me « Domino et fratribus obligavi, videlicet, ut, si aliquis « fratrum meo malo exemplo perierit, volo teneri « Domino reddere rationem ». Unde, si [1] aliquis fratrum diceret ei, ut deberet aliquando se intromittere de statu religionis, ipse talia verba respondebat dicens: « Fratres regulam suam habent, insuper et ju- « raverunt et non habent excusationem; postquam « Domino placuit me statuere, ut essem praelatus « eorum, coram ipsis eam similiter juravi et volo « usque in finem observare. Unde, ex quo fratres « sciunt, quid agere debeant quidve etiam vitare, « non restat, nisi ut operibus doceam ipsos, quoniam « ad hoc datus sum ipsis in vita mea et post mor- « tem meam [2] ».

41. Cum quadam die obviavisset beatus Franciscus cuidam pauperculo, dixit socio suo: « Magnam verecundiam intulit nobis paupertas istius ». Dixit ei socius: « Quomodo, frater » ? Ait ille: « Ma- « gna verecundia est mihi, cum invenio aliquem,

---

[1] In cod. deest « si ».

[2] Conf. Spec. cap. 81.

« qui sit pauperior me, cum sanctam paupertatem « elegerim pro mea domina et pro meis deliciis et « divitiis spiritualibus et corporalibus, et vox ista « insonuerit toti mundo, scilicet quod professus sum « paupertatem coram Deo et hominibus, quapropter « debeo inde verecundari, cum invenio aliquem, « qui sit pauperior me [1] ».

42. Semel quidam pauperculus et infirmitius venit ad beatum Franciscum, et compatiens ei loquebatur cum socio de nuditate et infirmitate ejus, et dixit socius ei: « Frater! verum est, quod iste satis « pauper est, sed forsitan in tota provincia non est « voluntate ditior eo ». Et reprehendit eum beatus Franciscus, quod non bene dixisset, ita quod inde dixit suam culpam.

Et ait B. Franciscus: « Vis inde poenitentiam « facere, quam dixero tibi »? Respondit: « Libenter ». Et dixit ei: « Vade et exuere tunicam tuam et vade « nudus coram paupere et projice te ad pedes ejus « et dicas ei, quo modo peccasti in eo, quoniam de- « traxisti ei; et dicas ei, ut oret pro te, ut Deus « tibi indulgeat ».

Ivit ergo ille et fecit omnia, sicut dixit ei beatus Franciscus; quo facto elevavit se et induit se tunicam et reversus est ad B. Franciscum. Et ait ad eum beatus Franciscus: « Vis, ut dicam tibi, quo- « modo peccasti in illo, immo in Christo »? Et ait: « Cum vides pauperem, debes considerare illum, in

[1] Conf. Spec. cap. 17.

« cujus nomine venit, videlicet Christum, qui no-
« stram paupertatem et infirmitatem assumere venit.
« Nam paupertas et infirmitas istius est quoddam
« speculum nobis, per quod speculari et considerare
« debemus paupertatem cum pietate et infirmitatem
« Domini nostri Jesu Christi, quas in suo corpore
« portavit pro redemptione humani generis [1] ».

43. Quodam tempore in quodam eremitorio fratrum super Burgum Sancti Sepulchri veniebant aliquando latrones, qui erant in illis silvis, ad quaerendum panem a fratribus. Quidam fratres de loco dicebant: « Non bonum est dare illis eleemosynas,
« cum sint latrones et hominibus faciant tanta mala ».
Alii considerantes, quod humiliter peterent et ex magna necessitate compellebantur, dabant illis semper admonendo illos, ut ad poenitentiam converterentur.

Interim beatus Franciscus advenit ad locum, quem fratres interrogaverunt, utrum scilicet darent illis de pane annon. Dixit eis beatus Franciscus: « Si
« feceritis, sicut dixero vobis, confido in Domino,
« quod lucrabimini animas illorum ». Et ait illis:
« Ite et acquirite de bono pane et bono vino et
« deferte eis in silva, ubi ipsos scitis conversari,
« acclamantes: , Fratres latrones! venite ad nos!
, quia fratres sumus et apportamus vobis bonum
, panem et bonum vinum '. Illi statim ad vos ve-
« nient. Et vos extendite tabulam in terram et de-
« super ponite panem et vinum; servietis eis hu-

[1] Conf. Spec. cap. 37.

« militer et cum hilaritate, donec manducaverint. « Et post comestionem dicetis eis de verbis Domini, « et ad ultimum petatis ab eis ob amorem Domini « primo, ut promittant vobis, quod non percutiant « aliquem, nec noceant ipsi; quoniam, si omnia si- « mul peteretis ab eis, non vos exaudirent. Et ipsi « propter humilitatem et caritatem, quam ostendi- « stis eis, statim promittent vobis. Et altera die sur- « getis et propter bonam promissionem, quam fece- « runt vobis, adjicietis super panem et vinum de « ovis et de caseo; et similiter apportetis eis et ser- « viatis, donec manducaverint. Et post comestionem « dicetis eis: , Quid hic statis tota die et fame mo- , rimini et multa mala patimini et voluntate et ope- , ratione operamini tot mala, pro quibus perdidistis , animas vestras, nisi inde conversi fueritis? Melius , est enim, ut Domino serviatis, et ipse vobis in hoc , saeculo tribuet necessaria corpori et ad ultimum , salvabit animas vestras '. Et Dominus inspirabit « eis per misericordiam suam, ut convertantur pro- « pter humitatem et caritatem vestram, quam osten- « distis eis ».

Surrexerunt ergo fratres et fecerunt omnia, sicut dixit eis beatus Franciscus. Et ipsi per misericordiam Dei et gratiam, quae descendit super eos, ad litteram, de puncto ad punctum omnes petitiones, quas fratres ab eis petierunt, exaudierunt et observaverunt. Immo propter familiaritatem et caritatem, quam ostenderunt eis fratres, coeperunt eis in dorsis suis portare ligna ad eremitorium. Itaque per misericordiam Domini occasione illius

caritatis et familiaritatis, quam fratres illis exhibuerunt, alii intraverunt religionem, alii acceperunt poenitentiam promittentes in manibus fratrum, se de cetero hujusmodi mala non committere, sed de labore manuum suarum velle vivere. Unde plurimum mirati sunt fratres et alii hoc audientes et scientes et considerantes sanctitatem B. Francisci, quomodo praedixerat conversionem illorum, qui erant rei, perfidi et iniqui homines, et qualiter tam cito ad Dominum conversi fuerunt [1].

44. Aliquando aliqui fratres dixerunt B. Francisco: « Pater! nonne vides, quod aliquando epi-« scopi non permittent nos praedicare, et pluribus « diebus permittunt nos stare otiosos in una terra, « antequam possimus populo praedicare? Et melius « esset, quod tu impetrares, quod fratres haberent pri-« vilegium a domino papa, et esset salus animarum ». Quibus ipse respondit: « Vos, Fratres Minores, non « cognoscitis voluntatem Dei, et non permittitis me « convertere totum mundum, sicut Deus vult. Nam « ego volo per humilitatem et reverentiam primo « convertere praelatos, et cum viderint sanctam vi-« tam nostram et reverentiam ad eos, ipsi rogabunt « vos, quod praedicetis et convertatis populum. Et « ipsum vocabunt vobis melius, quam privilegia, quae « vultis, quae vos ducent ad superbiam. Et, si fue-« ritis separati ab omni avaritia et inducatis popu-« lum, quod reddat ecclesiis jura sua, ipsi rogabunt

[1] Conf. Spec. cap. 66.

« vos, quod audiatis confessiones populi sui; licet de « hoc non debeatis curare, quia, si conversi fuerint, « bene invenient confessores.

« Ego pro me volo hoc privilegium a Deo, nul- « lum scilicet ab homine habere privilegium, nisi « omnibus reverentiam facere et per obedientiam « sanctae regulae et exemplo, plus quam verbo con- « vertere universos [1] ».

45. Dicebat B. Franciscus [2]: « Servo Dei nulla « res displicere debet praeter peccatum; et quocun- « que modo aliqua persona peccaret, et propter hoc « servus Dei, nisi ex caritate, turbaretur et irasce- « retur, thesaurizat sibi culpam ».

« Ille servus Dei, qui non irascitur nec con- « turbat se pro aliquo, recte vivit et sine peccato. « Et beatus est, qui non retinet sibi aliquid reddens, « quae sunt Caesaris, Caesari et, quae sunt Dei, Deo ».

« Beatus servus, qui non loquitur sub specie « mercedis, omnia sua non manifestat et non est « velox ad loquendum, sed sapienter providet, quid « debet loqui et respondere ».

« Vae illi religioso, qui bona, quae Dominus « sibi ostendit, non retinet in corde suo et aliis non « ostendit per operationem, sed sub specie merce- « dis magis hominibus verbis cupit ostendere! Ipse « recepit mercedem suam, et audientes parum fru- « ctum reportant ».

---

[1] Conf. Spec. cap. 50.

[2] Conf. Admonitiones S. P. Francisci pluries editas.

RELATIO inter redactionem priorem Speculi perfectionis et redactionem alteram ac legendam secundam fr. Thomae de Celano.

SPEC. RED. I.	SPEC. RED. II.	LEGENDA II. CELANENSIS	
		MEMORIALE	TRACT. DE MIRAC.
1	Cap. 22	3. 18	
2	23	3. 19	
3	24	3. 21	
4	121	3. 139	
5	122	3. 139	
6	26	(I. Cel. 23)	
7	73	3. 99	
8	109	(3. 137)	
9	124	(I. Cel. 108)	
10	123	3. 139	
11	112		37, 38
12	44	(I. Cel. 39)	
13	45	3. 80	
14	39	3. 81	
15	46	3. 88	
16	40	3. 82	
17	107	2. 17	
18	108	(I. Cel. 116)	
19	113, 114	3. 128	32
20	67	3. 61	
21	99, 98	3. 10	
22	94, 95	3. 39	
23	96, 97	3. 65, 3. 68	
24	27	1. 15	
25	18, 19	3. 20, 3. 22	
26	28	3. 110	
27	55	1. 12	
28	8	(3. 3)	

SPEC. RED. I.	SPEC. RED. II.	LEGENDA II. CELANENSIS	
		MEMORIALE	TRACT. DE MIRAC.
29	9	(3. 5)	
30	10, 87	3. 84	
31	56, 57	3. 120	
32	58	—	
33	59, 60	3. 63	
34	88	3. 139	
35	82	3. 96	
36	65	3. 129	
37	65	3. 129; (I. 74. 75)	
38	64	3. 83	
39	16	—	
40	81	3. 94	
41	17	3. 28	
42	37	3. 29	
43	66	—	
44	50	—	
45	—	—	

APPENDIX

DE LEGENDA ANTIQUA.

Ex ineunte saeculo decimo quarto praeter legendam maiorem S. Bonaventurae, quam legendam *novam* appellabant, a scriptoribus, qui de S. P. Francisco egerunt, legendam *antiquam saepe* adhibitam invenimus. Diversi diversis legendis hoc nomen dederunt. In *Chronicis XXIV Generalium* legenda *secunda* Celanensis legenda antiqua vocatur [1]; *Franciscus Bartholi* vero in suo Tractatu de Indulgentia S. Mariae de Portiuncula duo capita ex « antiqua legenda beati Francisci » posuit, quae capita verbotenus in legenda *prima* fratris Thomae de Celano leguntur [2].

Communiter vero, praesertim inter « Spirituales », compilatio quaedam hoc nomine exhibetur, quae multum quidem legendae secundae Celanensis et Speculo perfectionis affinis est, ab utroque tamen discerni debet.

---

[1] Anal. Franc. t. III. pag. 8 lin. 10 et pag. 262 lin. 11.

[2] Tractatus de Indulgentia S. Mariae de Portiuncula (ed. Sabatier, Paris 1900), cap. 2 et cap. 16.

1. *Alvarus Pelagius,* qui tempore Ioannis XXII librum « *De planctu ecclesiae* » scripsit, pluribus locis adhibet « *legendam antiquam, quam composuit frater Joannes de Celano* [1] ». Aliqua, quae ex hac legenda profert, inveniuntur in legenda secunda fr. Thomae de Celano, alia vero in ipsa haud habentur. Dixit ex. gr. fol. 191 a: « Legitur in legenda « antiqua, quod, quum quidam frater redargueret « beatum Franciscum, quod non corrigeret fratres, « respondit: , Meum officium est spirituale [2] ».

2. Idem dicendum est de legenda antiqua, qua fr. *Angelus Clarenus* saepe est usus, et ex qua ea sumpsit, quae de gestis S. Francisci praemisit historiae de septem tribulationibus Ordinis Minorum [3]. Multa, quae in hac S. Francisci Vita refert, nec habentur in legendis fratris Thomae de Celano et S. Bonaventurae, nec in scriptis fratris Leonis. Clarenus ipse praeter hasce Vitas enumerat legendam, « quam scripsit sanctus vir frater *Joannes de Celano* [4] ».

---

[1] Fol. 150a (conf. cod. Vat. 4280, quo idem habetur).

[2] Conf. Speculum (ed. Sabatier) cap. 71.

[3] Döllinger, Beiträge zur Sektengeschichte des Mittelalters, t. II (München 1890) pag. 417 sqq.; conf Ehrle, Archiv. t. II. pag. 124.

[4] Conf. Vitam S. Francisci, quae habetur in Cod. Capp. 207; incipit « Incomenza la vita del povero et humile servo de Dio Francesco fundatore delli tre ordini et alcuni soi compagni. La quale vita scripsero quattro solempne persone preclari de scientia et de sanctitade, cioe fr. Johanni et fr. Thomasso da celano; fr. Bonaventura et l'homo de mirabile simplicitade et sanctitade fr. Leone, compagno di S. Francesco ».

P. Ehrle putat Clarenum hic fr. Joannem de Celano commutasse cum Ioanne de *Ceperano*, Analecta vero Bollandiana objiciunt Clareno « dédoublement arbitraire de Jean et de Thomas de Celano [1] ». Sed nihil obstare videtur, quominus utrumque Celanensem discernamus et Joannem legendae antiquae, de qua hic est sermo, auctorem habeamus, cui suffragatur testimonium Alvari Pelagii.

3. Saeculo decimo quarto composita est compilatio illa, quae incipit « *Fac secundum exemplar* », quae in codicibus pluribus manuscriptis habetur, inter quos magis noti sunt cod. Vaticanus 4354 et cod. 196 bibliothecae R. Berolinensis [2]. De priore codice Papini scribit: « Antiqua legenda, quam citat Bartholomaeus Pisanus, est Romae in Vaticano n. 4354 [3] ». Sed non omnia, quae Bartholomaeus ex « legenda antiqua » profert, in isto codice habentur [4]; hinc patet in ipso non *totam* legendam antiquam invenire, quod confirmat codex Berolinensis, in cujus initio legitur: « *Pars* veteris legendae sancti Francisci ».

Saepius adhibet, quod jam dictum est, legendam antiquam Bartholomaeus *Pisanus* in suo libro Conformitatum S. Francisci cum Jesu Christo eamque bene distinguit a « legenda fratris Thomae » et

---

[1] Archiv. t. II. pag. 113; Anal. Boll. t. XIX. pag. 324.

[2] Conf. Sabatier, Speculum perfectionis pag. CLXXVI.

[3] Conf. Anal. Franc. t. III. pag. XIV.

[4] Conf. v. g. fol. XIVa (ed. 1510) « Franciscus declaratur » n. 18.

a Speculo perfectionis [1]. Ea vero, quae ex « legenda antiqua » ponit, optime ostendunt magnam similitudinem, quam haec compilatio cum dictis duobus libris habet tam quoad ipsam materiam, quam quoad ipsius ordinem.

5. Hinc commendatur sententia *Waddingi*, qui ultimus legenda antiqua in scribendis Annalibus Minorum usus est. Waddingus socios sancti Francisci « *Auctores legendae antiquae* » habet *eamque ex scriptis sociorum compilatam esse* putat [2].

Quaestionis solutioni multum obstat, quod completum exemplar legendae antiquae nondum est detectum; habentur sola in diversis codicibus excerpta; in codice ex. gr. 1/73 archivi S. Isidori plura fol. 168 sqq. inveniuntur, quae heic evulganda duximus.

---

[1] Conf. fol. CXXXVa « ut dicit in speculo perfectionis »; ibidem CXXXVb « hoc habetur in speculo perfectionis » (« Franciscus reserator » n. 18 et n. 26).

[2] Annales t. I. pag. 137, pag. 141. Compilationem ipsam Wadd. attribuit fratri Thomae de Celano, conf. t. II. pag. 205.

DE LEGENDA VETERI BEATI FRANCISCI.

1. Quodam tempore in primordio suae conversionis, quando beatus Franciscus coepit habere fratres, manebat cum illis apud Rigum Tortum. Dum quadam nocte circa medium omnes quiescerent in lectulis suis, exclamavit unus de fratribus dicens: « Morior, morior ». Et stupefacti fratres et territi omnes evigilaverunt. Exurgens B. Franciscus dixit: « Surgite, fratres, et accendite lumen ». Et accenso lumine dixit beatus Franciscus: « Quis ille, qui dixit: morior » ? Ille autem frater dixit: « Ego sum ». Et dixit ad eum beatus Franciscus: « Quid habes, frater ? quomodo moreris ? ait ille: « morior fame ». Beatus Franciscus, sicut homo caritate plenus et discretione, ut non verecundaretur frater ille solus comedere, statim fecit apponi mensam, et comederunt omnes pariter cum illo. Nam noviter ille et alii conversi erant ad Dominum, et ultra modum affligebant corpora sua.

Et post comestionem dixit beatus Franciscus ceteris fratribus: « Fratres mei ! ita dico vobis, quod « unusquisque consideret naturam suam, quia, li- « cet aliquis ex vobis sustentari valeat pauciori « cibo, quam alius, nolo tamen, quod abundantiori « cibo indigens illum in hoc imitari nitatur: sed na-

« turam suam considerans exhibeat corpori suo ne-
« cessitatem suam. Sicut enim a superfluitate come-
« stionis, quae obest corpori, maxime tenemur nobis
« cavere, ita a nimia abstinentia, immo magis, quo-
« niam Dominus misericordiam vult et non sacrifi-
« cium ». Et ait: « Carissimi fratres! hoc, quod feci,
« videlicet quod caritate fratris mei cum ipso pari-
« ter comedimus, ut non verecundaretur solus co-
« medere, magna necessitas et caritas compulit me
« facere. Sed dico vobis, quod nolo de cetero ita
« facere, quia non esset religiosum neque honestum.
« Sed volo et praecipio vobis, ut quilibet secundum
« nostram paupertatem suo corpori satisfaciat, sicut
« ei necesse fuerit ». Nam primi fratres et alii, qui venerunt post ipsos usque ad magnum tempus, affligebant corpora sua ultra modum, non solum abstinendo cibi et potus, sed quandoque vigiliis, frigore et labore manuum suarum. Portabant ergo subtus ad carnem circulos ferreos et loricas, qui poterant habere. Propterea sanctus pater considerans, quod fratres hac occasione poterant infirmari, et quidam jam parvo tempore essent infirmati, prohibuit in quodam capitulo, ut nullus fratrum portaret subtus ad carnem nisi tunicam. Nos vero, qui cum ipso fuimus, testimonium perhibemus de illo, quod, licet a tempore, quo coepit habere fratres, et toto tempore vitae suae fratribus esset discretus, ita dumtaxat *quod* [1] fratres cibo et rebus non deviarent aliquo tempore a modo paupertatis et honestatis nostrae reli-

[1] « Quod » deest in codice.

gionis, quibus fratres antiqui utebantur, ipse tamen suo corpori, antequam haberet fratres, a principio suae conversionis et toto tempore vitae suae fuit austerus, cum a tempore suae juventutis esset homo fragilis et debilis secundum naturam, et in saeculo non posset vivere nisi delicate. Unde quodam tempore considerans, quod fratres jam excederent modum paupertatis et honestatis in cibis et rebus in quadam sua praedicatione, quam fecerat, quibusdam fratribus in persona omnium fratrum dixit: « Non « putant fratres, quod corpori meo necessaria esset « pietantia ? Sed, quia oportet me esse formam et « exemplum omnium fratrum, volo uti et esse con- « tentus pauperculis cibis et rebus non delicatis [1] ».

2. Cum coepisset habere beatus Franciscus fratres, tantum delectabatur de conversione illorum, et quod Dominus dedit ei societatem bonam, et tantum diligebat eos et venerabatur, quod non dicebat eis, ut irent pro eleemosynis, et maxime quia videbatur ei, quod verecundarentur ire; sed parcens illorum verecundiae ipse quotidie solus ibat pro eleemosyna. Ex hoc nimis fatigabatur corpus suum, maxime cum fuisset homo delicatus in saeculo et debilis secundum naturam, et propter nimiam abstinentiam et afflictionem, quam sustinuerat, et ab illo die, quo exivit de saeculo, esse *coepit* [2] debilior secundum naturam. Unde considerans, quod tantum non poterat tolerare,

---

[1] Conf. II. Cel. I. 15, 16 et Spec. (ed. Sabatier) cap. 27.

[2] « Coepit » deest in codice.

et quia ad hoc vocati erant, licet verecundarentur, et nondum plene cognoscerent, nec erant tam discreti ad hoc, ut dicerent ei: « Nos volumus ire pro eleemosynis », *ideo dixit eis: Carissimi fratres et « filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosyna* [1], quia Dominus pro nobis se fecit pauperem « in hoc mundo, quapropter exemplo suo elegimus « viam verissimae paupertatis et ejus sanctissimae « matris. Haec est haereditas nostra, quam nobis ac« quisivit et reliquit Dominus Jesus Christus et omni« bus, qui suo exemplo vivere volunt in sancta pau« pertate ».

Et ait illis: « In veritate dico vobis, quod multi « ex nobilioribus et sapientioribus hujus saeculi ve« nient ad istam congregationem et pro magno ho« nore habebunt ire pro eleemosyna. Ite ergo con« fidenter et animo gaudenti pro eleemosyna cum « benedictione Domini Dei. Et magis libenter et animo « gaudenti ire debetis, quam ille, qui de una num« mata offerret centum denarios, quoniam offertis « illis amorem Dei, a quibus petieritis eleemosynam, « dicentes: Amore Domini Dei facite nobis eleemosy« nas, cujus comparatione nihil est terra, nihil est coe« lum ». Et quia pauci adhuc erant, non poterat illos mittere binos, sed unumquemque separatim misit per illa castella et villas. Et factum est, dum redirent [2],

---

[1] In Spec. pag. 37 legitur: « ‚Nos volumus ire pro eleemosynis'. *Ideo dixit eis: ‚Carissimi fratres et filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosyna'.* Quae ultima verba omissa sunt in codice.

[2] Codex: « irent ».

unusquisque ostendebat B. Francisco eleemosynas, quas acquisierat, dicens unus alteri: » Ego majorem « eleemosynam te acquisivi » ; et gavisus est beatus Franciscus cernens illos ita hilares et jucundos. Et exinde unusquisque petebat libentius licentiam eundi pro eleemosynis [1].

De eadem legenda, cap. 2 [2].

3. Eodem tempore, cum esset B. Franciscus cum fratribus suis, quos tunc habebat, tantae puritatis erat, quod ab illa hora, qua Dominus revelavit ei, ut deberet vivere secundum formam sancti Evangelii, ad litteram voluit id et studuit observare toto tempore vitae suae. Unde prohibuit fratri, qui fratribus faciebat coquinam, ut, cum vellet fratribus dare legumina ad manducandum, non mitteret ea in sero in aqua calida, sicut est consuetum, pro alio die, ut observarent fratres illud verbum sancti evangelii: « Nolite solliciti esse de crastino ». Et ita frater ille, postquam fratres dixerant matutinum, mittebat illa ad mollificandum. Quapropter per longum tempus multi fratres in pluribus locis, ubi morabantur, et maxime in civitatibus, hoc observaverunt nolentes plures eleemosynas acquirere vel accipere nisi quod sufficeret eis per unum diem [3].

---

[1] Conf. Spec. cap. 18.

[2] Hoc loco et numeris sequentibus capitula legendae antiquae indicantur, quae codex ipse (in indice) nominat.

[3] Conf. Spec. cap. 19.

De eadem legenda, cap. 3.

4. Quodam tempore, cum esset beatus Franciscus apud eundem locum, quidam frater spiritualis homo et antiquus in religione, manebat ibi, qui erat valde debilis et infirmus. Considerans ergo beatus Franciscus pietate motus est super eum. Sed quia fratres tunc infirmi et sani cum hilaritate et patientia paupertate pro abundantia utebantur et in suis infirmitatibus medicinis non utebantur, sed magis, quae erant contraria corpori, libentius faciebant, dixit ad se ipsum beatus Franciscus: «Si frater iste summo mane manducaret de uvis maturis, credo, quod prodesset illi». Et jam surrexit quodam die summo mane secreto et vocavit fratrem illum et duxit eum in vineam, quae erat juxta eandem ecclesiam, et elegit quandam vitem, in qua erant bonae et sanae uvae ad manducandum. Et sedens cum illo fratre juxta vitem, coepit de uvis comedere, ut non verecundaretur solus comedere; et manducantibus illis laudavit Dominum Deum frater ille, et illius misericordiae, quam fecit propter eum sanctus pater, toto tempore, dum vixit, cum magna devotione et lacrymarum effusione saepe recordabatur inter fratres [1].

De eadem legenda, cap. 4.

5. Quodam tempore, cum esset beatus Franciscus apud eundem locum, manebat ad orationem in

[1] Conf. Spec. cap. 28.

cella, quae erat post domum. Cumque quadam die staret in ea, ecce episcopus Assisii venit ad videndum eum. Et factum est, cum intraret domum, pulsavit ostium, ut ingrederetur ad B. Franciscum. Et aperto sibi ostio statim intravit cellam, in qua erat facta alia parva cellula de storiis, ubi stabat B. Franciscus. Et quia sciebat, quod sanctus pater familiaritatem et dilectionem sibi ostendebat, libere intravit et aperuit sibi storium cellulae, ut videret eum. Et statim, dum misit caput intra cellulam, subito vellet, nollet, ipse pulsus est per vim foras de voluntate Domini, quia dignus non erat videre eum, ambulans retro post se. Et statim exivit foras cellam tremens et stupefactus coram fratribus dixit inde culpam suam, et quia ille die poenituit eum illuc venisse [1].

De eadem legenda, cap. 5.

6. Quidam frater spiritualis homo et antiquus in religione et familiaris B. Francisco fuit. Accidit autem, ut in quodam tempore per multos dies passus esset gravissimas et crudelissimas diaboli suggestiones, ita quod quasi in profundum desperationis illa occasione ducebatur et in tantum quotidie stimulabatur, quod verecundabatur toties confiteri. Et ex hoc nimis se affligebat abstinentia, vigiliis, lacrymis et disciplinis. Cumque per tot dies esset tribulatus, ecce divina dispensatione venit ad locum beatus Franciscus. Et, cum quadam die non multum

[1] Conf. II. Cel. 3. 43.

ab illo loco ambularet beatus Franciscus cum quodam fratre et cum illo, qui erat tribulatus ita, beatus Franciscus subtraxit se parum ab illo fratre et junxit se illi fratri, qui erat ita tentatus, et dixit ei: « Carissime frater! volo et dico, ut amodo non « tenearis illas suggestiones et immissiones diaboli « alicui confiteri, et noli timere, quia nihil nocue- « runt animae tuae, sed de mea licentia dicas VII « Pater noster, quoties iisdem suggestionibus fueris « tribulatus ». Et gravisus est ille frater de verbo, quod dixit ei, ut non teneretur illas confiteri, maxime quia, cum quotidie oporteret illum confiteri, nimis confundebatur; sed erat causa sui majoris doloris. Et miratus est ille frater sanctitatem sancti patris, quoniam per Spiritum sanctum cognovit suas tentationes, eo quod ipse nulli alii fuerat confessus, nisi sacerdotibus; et saepe mutabat sacerdotem propter verecundiam, quia verecundabatur, ut unus sacerdos sciret omnem suam infirmitatem et tentationem. Et statim ab illa hora, qua locutus est ei beatus Franciscus, liberatus est de illa magna tribulatione intus et foris, quam longo tempore sustinuit. Et per gratiam Dei in magna quiete et pace animae et corporis positus fuit meritis B. Francisci [1].

7. *Quomodo impetravit ab abbate sancti Benedicti locum sanctae Mariae.*

Videns beatus Franciscus, quod fratrum numerum Dominus vellet multiplicare, dixit ad eos: « Ca-

[1] Conf. II. Cel. 3. 64, Spec. cap. 106.

« rissimi fratres et filioli mei ! video, quod Dominus « vult nos multiplicare. Unde videtur mihi bonum « et religiosum inquirere ab episcopo vel canonicis « sancti Rufini aut ab abbate monasterii sancti Be- « nedicti aliquam parvam et pauperculam ecclesiam, « ubi fratres valeant dicere horas suas et solummodo « habere juxta illam aliquam parvam et paupercu- « lam domum ex luto et vinculis constructam, ubi « fratres possint quiescere et operari suas necessi- « tates, quoniam locus iste non est honestus ; haec « domus est fratribus ad manendum valde parva, « ex quo Domino placet illos multiplicare, et ma- « xime, quia non habemus hic ecclesiam, ubi fra- « tres dicere possint horas suas. Et si aliquis mo- « reretur, non esset honestum hic sepelire ipsum « in ecclesia clericorum saecularium ».

Et placuit sermo ceteris fratribus. Surrexit ergo beatus Franciscus et ivit ad episcopum Assisii et eadem verba, quae coram fratribus proposuerat, proposuit coram ipso. Cui episcopus respondit dicens : « Frater ! non habeo ecclesiam, quam vobis dare valeam ». Ille ivit ad canonicos sancti Rufini et similia verba eis dixit ; illi vero sicut episcopus responderunt.

Ivit ergo ad monasterium sancti Benedicti de monte Subasio ; et coram abbate illa eadem verba, sicut coram episcopo et canonicis, proposuit ; insuper, qualiter episcopus et canonici sibi responderunt Abbas vero pietate motus habito consilio de hoc cum fratribus suis et, sicut de voluntate Domini fuit, concesserunt beato Francisco et fratribus suis eccle-

siam sanctae Mariae de Portiuncula pro magis paupercula, quam haberent. Erat et magis paupercula, quam aliqua, quae esset in circuitu civitatis Assisii, qualiter etiam desideraverat beatus Franciscus. Et dixit abbas beato Francisco : « Frater ! quae petisti, « exaudivimus. Sed volumus, quod, si Dominus con- « gregationem vestram multiplicaverit, iste locus sit « caput omnium vestrum [1] ».

---

[1] Conf. Spec. cap. 55.

INDEX ALPHABETICUS [1].

A

Aegidius B. I. 1-37, 66-72; II. 13, 43.
Conversio ipsius I. 21, 38-40.
Peregrinationes I. 36, 41-43.
In Fabrione I. 43-45.
In Cetona I. 46, 53, 56-60.
Contemplationes I. 44, 46-57, 60, 61.
Tribulationes diabolicae I. 45, 58-60.
Verba I. 63-65.
Virtutes I. 49, 62.
Mors I. 61.
Alvarus Pelagius, liber de Planctu Ecclesiae I. 26; II. 10, 13. 88, 89.
Alverno I. 54, 56, 78.
Ancona I. 10, 42.
Andreas, fr. de Burgundia I. 54-57, 71.
Angelus Clarenus, fr. I. 26, 75-106; II. 10, 12, 88.
Angelus, fr. socius S. P. Fr. I. 28-34, II. 13, 34.
Antoninus, S. II. 14.
Assisi, benedictio civitatis II. 32.
Ecclesia S. Georgii I. 39.
Ecclesia S. Nicolai I. 22.
Ecclesia S. Rufini II. 99.
Hospitale I. 39.
Monasterium S. Clarae I. 38.

[1] Auctores moderni in hoc indice non ponuntur.

Monasterium S. Damiani II. 46.
Monasterium de monte Subasio II. 58, 99.
Palatium episcopi I. 83, 95; II. 28, 32.
Platea S. Georgii I. 38.
Portiuncula I. 21, 39, 66, 91, 93, 98, 103; II. 20, 21, 32, 33, 40, 58-61, 66, 69, 72, 75, 100.
Rigo Torto I. 17; II. 27, 57, 94.

B

Bari I. 42, 54, 67.
Barthol. Pis., liber Conformitatum I. 13, 14, 26; II. 19, 89.
Barthol. Trid., I. 36.
Benedictus, fr. de Prato II. 65.
Bernardus, fr. de Bessa I. 26; II. 9.
Bernardus, fr. de Quintavalle I. 22, 28, 35-39; II. 16, 42-46.
Bonaventura, de Senis, II. 62, 65.
Bonizus, fr. de Bononia I. 101; II. 19.
Bonojohannes, medicus de Aretio II. 29.
Borgo San Sepolcro II. 81.
Bovaria II. 70.
Brundusium I. 10.

C

Cetona I. 46, 51, 53, 58, 59, 67.
Cibottola I. 46.
Clara S. II. 46-48.
Clusium I. 46, 55.
Codices manuscripti:
148/13 Coll. S. Antonii de Urbe II 46.
1/25 Arch. S. Isidorii de Urbe I. 46; II. 48.
1/63 » » » I. 11, 14, 37.
1/65 » » » I. 81
1/67 » » » I. 77.
1/73 » » » I. 10, 37, 79, 81; II. 16, 20, 90.

1/82 Arch. S. Isidorii de Urbe I. 12.
1/184 » » » II. 16, 18, 19.
686 bibl. Munic. Assis. II 14, 16.
196 bibl. R. Berolinensis I. 12; II. 89.
— Conv. Ognissanti Florentiae I. 16.
— Conv. Capuc. Marsil. II. 16.
4280 bibl. Vaticanae II. 88.
4354 » » I. 12, 37; II. 89.
207 Capp. » » II. 88.
Compostella I. 36, 41, 66.
Crescentius I. 30-32; II. 8, 13.

E

Elias, fr. I. 102; II. 20, 28.

F

Fabrione I. 43, 67.
Foligno II. 29.
Fonte Columbarum, eremitorium de II. 52.
Franciscus, S. Pater.
Devotio, II. 53, 66, 72, 74.
Eleemosynae laus, I. 101; II. 23-28, 57, 93.
Humilitas, I. 104; II. 38, 39, 75.
Infirmitas ultima, I. 83, 95-98; II. 28, 29, 32, 37, 42, 43, 46-49, 71.
Institutitiones discipulorum, II. 30, 31, 54, 55, 56, 48, 72, 73, 76-80, 84, 91, 95-97.
Intentio regulae, I. 83-99.
Laetitia mentis, II. 28-30, 33-35, 54.
Obedientia, II. 40-42.
Paupertas, I. 100; II. 38, 61-66, 79.
Prima missio fratrum, I. 22-25.
Primi discipuli, I. 34, 35.
Privilegia non quaerenda, I. 105; II. 83.
Regula, I. 98, 101-103.

Testamentum, I. 97, 98.
Tribulationes diaboli, II. 50-53, 70.
Franciscus, fr. Bartholi II. 87.
Franciscus B. de Fabr. I. 75, 76.

G

Gratianus, fr. socius B. Aeg. I. 54-60.
Greccio I. 29.
Gregorius IX., I. 104; II. 9, 25, 75.

H

Honorius III., I. 23, 24, 83.

J

Jacoba de septem Soliis I. 12, 51, 53; II. 17, 35. 36, 37, 42.
Jacobus, fr. I. 54.
Jacobus de Massa I. 12, 51.
Jacobus simplex II. 69.
Jacobus a Trisanto II. 19.
Illuminatus, fr. de Arce I. 28.
Interamnae II. 38.
Joannes, fr. socius B. Aeg. I. 28.
Joannes, fr. de Celano I. 76; II. 10, 88, 89.
Joannes de Ceperano II. 89.
Joannes de Greccio II. 52.
Joannes, B. de Parma I. 32.
Jordanus a Iano I. 22, 23, 25.
Julianus Spirensis II. 9.

L

Legendae S. P. Francisci:
Legenda antiqua II. 10, 13, 87-100.
Legenda S. Bonaventurae I. 19-36, 76, 78; II. 9-12, 88.

Legendae fr. Thomae de Celano I. 19-36, 76; II. 9-22, 38, 87-90.
Legenda « trium sociorum » I. 18-34; II. 8, 13.
Speculum perfectionis (red. II.) I. 15, 16, 17; II. 1, 2, 15-22.
Leo card. II. 50.
Leo, fr. socius S. P. Fr. I. 9-35, 72, 75-106; II. 7-23, 34, 88.
Ludovicus, S. rex I. 12, 51.

M

Marchia Anconitana I. 18, 19, 83.
Massaeus, fr. de Marignano I. 28.
Monte Gargano I. 42, 54, 67.

N

Nicolaus, Card. Tuscul. I. 43, 67.

O

Olivi, Petrus Joannis I. 75, 79, 88.

P

Pacificus, fr. II. 71, 75.
Papini I. 9, 10, 13; II. 89.
Peregrinus, fr. de Marchia II. 45.
Perugia I. 9, 14.
Petrus, fr. I. 35, 38.
Petrus, fr. Catanii I. 76; II. 69, 70.
Philippus, fr. I. 28.

R

Ricerius, fr. de Marchia I. 83, 84, 86.
Roma, ecclesia « Domine, quo vadis? » I. 55.
Rufinus, fr. I. 28, 29, 31, 34.

S

Salimbene I. 9, 13.
Sbaralea I. 33.
Silvester fr. I. 35, 38; II. 74.
Slaggert, fr. I. 23.
Spoleto I. 45; II. 75.
Suyskenus I. 26; 29; II. 8.

T

Trevi II. 70.

U

Ubertinus Casalensis I. 26, 75-106; II. 10.

W

Waddingus I. 13, 24-27, 76; II. 7, 90.

INDEX.

Praefatio . . . . . *Pag.* 5
Introductio. . . . . » 7
I. De duobus generibus Vitarum S. P. Fr. . . . » 9
II. De legendis Spiritualium. . . . . » 12
a) De legenda II. fr. Thomae de Celano . . » 14
b) De Speculi priori redactione . . . . . » 19
Speculum perfectionis. . . . . » 23
Tabula . . . . . » 85
Appendix. De Legenda Antiqua . . . . . » 87
Index alphabeticus . . . . . » 101

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 22 Aprilis 1901.

Can. Maximilianus Novelli, *Vic. Glis.*

Ex parte Ordinis nihil obstat,
quominus imprimatur.

Romae ad S. Antonium, die 14 Aprilis 1901.

Fr. Aloysius Lauer, *Min. Glis O. F. M.*

922.2245
F 818 leo

AUTHOR
Leo of Assisi, Bro. d. 1271
TITLE
Documenta antiqua franciscana

DATE DUE	BORROWER'S NAME

922.2245
F818 Leo

5280